

# Landesbibliothek Oldenburg

## Digitalisierung von Drucken

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CLXXVII. Christus Ad Perseverantiam In Fide Et Mutuam Dilectionem  
Discipulis Hortatur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**

si & nos genuini cupimus esse Discipuli Christi, oportet, ut vereno animis nostris excusso verbis ejus diligenter attendamus. 3. Denique allegoricè & mysticè variis modis hoc præceptum Christi ad usum nostrum accommodari potest. Primò, Christus paulò ante Discipulorum pedes abluerat, & sacrosancto corporis & sanguinis sui Sacramento eos cibaverat, jam præcipit, ut surgant & eant. Sic quando per Baptismum externà illa lotionè præfiguratum à peccatorum sordibus sumus mundati & cibo ac potu Sacramentali confirmati, in via mandatorum divinatorum incedamus. Secundò Discipuli hæctenus mensæ assidentes concionem consolatoriam ex Christi ore audierant, jam porro ab illis requiritur, ut surgant & eant. Sic ad verbum Dei attentè audiendum debemus federe; ad opera bona exercenda surgere; ad toleranda adversa promptè & patienter ire. Tertiò Discipuli paulò antè agnum Paschalem comederant, atque hoc esum in Vet. Testam. imposuerant, jam subjungit Christus, *surgite, eamus hinc*, significat ergo jam tempus adesse, ut à cœna legali ad cœnam Evangelicam, ab umbris V. Test. ad corpus N. T. à Judæis incredulis ad gentes, à terrena Hierosolyma ad cœlestem, à templo umbratili ad verum templum, à consortio impiorum ad congregationem Sanctorum transeant. Quartò Christus non dicit, surgamus, eamus hinc, sed *surgite eamus hinc*. Ipse enim nunquam in peccatis jacuit, nunquam sedit sive otiosus fuit, sed semper stetit in sancta innocentia, semper ambulavit in sancta erga Deum obædientia. Quintò Christus dicit, *surgite*. Ostendit ergo sui esse officii jacentes in peccato erigere & sedentes in otio excitare, ut pedes ipsorum in viam divinatorum mandatorum dirigat. Adhuc hodie per verbum & Spiritum Sanctum nos excitat, ut à terrenis ad cœlestia, à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad aeterna felicissimâ transmigracione

abeamus Ephes. 5. v. 14. Sextò, Christus dicit, *eamus*. Ostendit ergo, quod in sancta obædientia via nobis exemplo suo præverit, ac *secutus est nos* nobis reliquerit, ut sequamur vestigia ejus 1. Petr. 2. v. 21. Septimò, Christus dicit, *eamus*. Docet ergo, quod in via Domini non debeamus stare, sed semper progredi. Stare enim in via Domini & non progredi est retrogredi. Octavò, Christus dicit, *eamus hinc*. Admonet ergo, ut evocati à Domino ad mortem parati simus. Piorum obitus nihil aliud est, quàm beata emigratio à labore ad requiem, ab expectatione ad præmiuin, ab agone ad brabeum, à fide ad notitiam, à peregrinatione ad patriam, à mundo ad Patrem, à morte ad veram vitam.

Atque hæc esto qualiscunq; explicatio tertiæ pericopes, in qua quia continetur promissio de donatione Spiritus Sancti propter quam in prima Pentecostes feria explicatur, ideò ex ea colligi possunt salutaria beneficia, quæ Spiritus Sanctus credentibus confert, quod videlicet 1. veram Christi dilectionem in nobis accendit 1. Cor. 12. v. 3. Galat. 5. v. 22. 2. Studium verbi cœlestis in nobis excitat Joh. 8. v. 46. 3. Cum Patre & Filio nos unit, ut reddamur totius S. S. Trinitatis gratiosè inhabitantis templa 1. Cor. 3. v. 16. 2. Cor. 6. v. 16. 1. Joh. 4. v. 13. 4. Vivificâ consolatione nos erigit, vocatur enim *Paracletus*, 5. Nos sanctificat, vocatur enim *Spiritus sanctus*. 6. Docet nos omnia, suggerit nobis omnia & in omnem veritatem ducit. Joh. 16. v. 13. 7. Pacem spiritualem & internam nobis donat Roman. 14. vers. 17. 8. Parat in nobis voluntariam obædientiam Psal. 110. vers. 3. Roman. 8. v. 14. 9. Denique in nobis hoc efficit, ut per mortem promptè ad Deum in patriam cœlestem emigremus.

*Da mihi, da pacem pacis, mitissime Princeps,  
Sed pacem tantum da mihi, Christe, tuam!*

## CAPUT CLXXVII.

CHRISTUS AD PERSEVERANTIAM IN FIDE ET  
MUTUAM DILECTIONEM DISCIPULOS  
HORTATUR.

JOHANN. 15. v. 1.

## RATIO ORDINIS.

**U**linque occurrunt sententiæ de loco, in quo Christus residuam concionis valedictoriæ partem Joh. 15. & 16. descriptam absolverit. 1. Quidam statuunt, post verba *surgite, eamus hinc*, Christum statim ex cœnaculo illius domus, in qua Pascha celebraverat, Sacramentum Eucharistiæ instituerat, & concionem valedictoriam inceperat, descendisse, & ad portam urbis progressum in plateis civitatis residuam concionis partem pertexuisse. Ita statuit Piscator Herborenensis in scholis Johan. 15. v. 1. ubi hunc sermonem inter eundem in urbe habitum esse, colligit ex collatione versiculi ultimi in c. 15. Joh. & versiculi primi in cap. 18.

*Harm. Tom. III, vel Gerhard. Cont. pars tertia.*

Joh. Priore loco, inquit, *habetur, Dominum dixisse, surgite, eamus hinc, id quod haud dubiè fecerunt, & ex domo, ubi præcedentem sermonem habuerat, exiverunt. Posteriore autem loco habetur, Dominum cum illa, que hoc & sequente capite recitatur, dixisset, egressum esse cum Discipulis trans torrentem Cedron, quod utiq; non potest referri ad domum, è qua jam ante fuerat egressus, quare intelligendum est de urbe, in qua adhuc ibat, dum illa diceret. Suspiciatur igitur, Christum hunc sermonem fuisse exorsum occasione inspectæ alicujus inter prætereundum, in urbe arboris, cum aliàs etiam solitus fuerit ex objectis rerum terrenarum occasiones captiare docendi de rebus spiritualibus Joh. 4. v. 10. 32. 35. c. 6. v. 27. Sed hæc sententia caret probabilitate. Neq; enim*

Zzzzz 3

verifi-

verisimile est, Christum tanti momenti ac ponderis sermonem inter deambulandum ad Discipulos habuisse, à quibus vix potuisset omnibus exaudiri; multò minus verisimile est, in plateis civitatis prolixam illam concionem, eidemq; subjunctam solennem orationem *προεγρησιν* ad Deum fuisse recitatam, cum tamen Johannes non solum residuam concionis partem ad Discipulos habitam, sed etiam preces Christi ad Patrem cœlestem suas præmittat egressi Christi ex urbe trans torrentem Cedron. Nec apparet ratio, quomodo ex conspectu alicujus vitis inter prætereundum in urbe Christus permoveri potuerit, ut sese viti, Patrem cœlestem agricolæ, Apostolos palmitibus compararet, cum hæc omnia gesta fuerint nocte intempestâ, nisi velimus dicere, quod lampades & funalia sibi præferri curaverint, id quod egressus scopo ac fini parum congruit. Quod ex objectis rerum terrenarum de rebus spiritualibus disserendi occasionem Christus captaverit, est particulare, aliàs in omnibus parabolis & similitudinibus ejusmodi occasiones essent quærendæ. 2. Quidam statuunt, post egressum ex urbe in via trans torrentem Cedron ad montem oliveti sermonem sequentem fuisse habitum, occasione conspectæ alicujus vitis secus viam plantatæ. Illi ergo prædictionem scandali Matt. 26, 31. Mar. 14, 26. descriptam interferunt loco intermedio inter priorem & posteriorem valedictoriæ concionis partem, quâ ratione CHRISTUS occasione prædicti scandali ad hanc exhortationem perseverantiæ velut à morbi periculo ad monstrandum *προφουλακτικὸν* descendisset. Sed contra hanc sententiam eadem ferè militant argumenta, quæ contra primam sunt allata. 3. Simon de Cassia lib. 12. c. 7. in monte oliveti hunc sermonem absolutum fuisse statuit, cui sententiæ probabilitas conciliari posset ex eo, quod CHRISTUS in eodem monte sedens de excidionero solymæ & consummatione seculi ante biduum Discipulos suos instruxerat Matt. 24. v. 3. Marc. 13. v. 3. Sanè hæc sententia effugit vim argumentorum contra præcedentes duas allatorum, interim ægrè conciliari potest cum descriptione Johannis, qui cap. 18. vers. 1. post absolutam concionem valedictoriæ & preces ad Patrem cœlestem suas CHRISTUM cum Discipulis suis trans torrentem Cedron in hortum ad montem oliveti situm exivisse asserit. Quod enim quidam respondent, verbum *ἐξῆλθε* accipiendum esse in plusquamperfecto, hæc cum dixisset Jesus, egressus fuerat cum Discipulis trans torrentem Cedron, illud non videtur satis congruere seriei Historiæ. Sicut Matthæus cap. 26. v. 30. Marcus cap. 14. v. 26. Lucas cap. 22. v. 39. dicunt, Christum hymno dicto secundum consuetudinem exivisse cum Discipulis in montem oliveti: ita Johannes, qui post reliquos Evangelistas omnes scripsit, asserit, hæc, (in cap. 13. 14. 15. 16. & 17. expositis) à Christo dictis ipsum cum Discipulis suis trans torrentem Cedron exivisse in hortum. Ergo, ut non nisi hymno dicto & absolutis, quæ recensuerant, omnibus, Christum in montem oliveti exivisse Evangelistæ reliqui innuunt: ita non nisi absolutis valedictoriæ concionis partibus omnibus, Christum in hortum trans torrentem Cedron exivisse, Johannes significare voluit. Ac si ex cœnaculo in alium locum secretiorem Christus prius secessisset, antequam in hortum ad montem o-

liveti situm exivisset, utiq; Johannes secretioris illius loci in serie Historiæ aliquam duntaxat injiceret mentionem. 4. Chrysof. eumq; secuti Theophyl. & Euthymius existimant, Christum in loco quodam domus secretiore, in quem ex cœnaculo Discipulos abduxerat, valedictoriæ suam concionem absolvisse, quâ de re quid statuendum sit, in præc. cap. expositum fuit. 5. Simplicissimè igitur statuitur, Christum verbis hæc, *surgite, eamus hinc*, Discipulos ad exeundum paratos esse jussisse, atque à mensa, cui hæc tenus assiderant, cum ipsis surrexisse, interim tamen aliquandiu adhuc in cœnaculo substitisse, & ut inter amicos fieri consuevit, sermonem ex sermone traxisse, adeoque ante egressum ex cœnaculo & residuam concionis valedictoriæ partem absolvisse, & solennes illas ad Patrem cœlestem preces ablegasse. Quemadmodum enim amici à dilectis suis aliò abituris post valedictionem quandoque novam sermonis materiam captant sermonem cum amicis studio protraquentes, eò quòd ægrè ab illorum complexu & alloquio divellantur: ita quoque Christus cum Discipulis suis, quos in hac ipsa concione amicos suos vocat, suavissimos sermones miscens, non statim, ut à mensa surrexit & valedictoriæ concionem inchoavit, è cœnaculo abiit, sed ante egressum eandem prius stando absolvit. Quòd si cui placet asserere, CHRISTUM ex conspectu vitis occasionem sumsisse, seipsum viti & Apostolos palmitibus comparandi, majori vel certè eadem facilitate & probabilitate asserere poterit, insignem aliquam vitem circa domum illam, in cujus cœnaculo Christus hunc sermonem habuit fuisse plantatam, ejusdemq; palmites ad ipsum usque cœnaculum assurrexisse, & propter accensas in cœnaculo lampades conspectui Christi & Apostolorum observatos fuisse, quâ alii asserunt, inter prætereundum in urbe vel extra urbem in via versus montem oliveti vitem aliquam oculis Christi fuisse oblatam. Constat enim ex Psal. 128. vers. 3. in lateribus domus vites magnâ curâ à Palæstinæ incolis fuisse plantatas. Sed non opus est, ut ad hanc concionis hujus occasionem confugiamus, cum aliæ possint dari connexionis rationes, propter quas hanc ad perseverantiæ & mutæ caritatis studium exhortationem Christus præcedentibus subjungere voluerit. Quidam statuunt, Christum inchoatam in cap. præc. consolationem pertexere atque omnia, quæ hic Discipulis inculcantur, principaliter ad hunc scopum dirigi, ut moror ex prædictione habitus Christi & afflictionum in mundo sustinentiarum in animis ipsorum leniatur. Existimant ergò Christum ejusmodi consolatoria argumenta formare. Omnes, qui à me vera vite tanquam palmites sustentantur & foventur, & consolationem, vitam ac lætitiâ hauriunt, non debent turbari animo, sed tranquillo & placido corde in Christo acquiescere. Vos Discipuli mei estis palmites fide mihi insiti, & à me consolationem, vitam & lætitiâ percipitis. Ergo omnia, quæ vobis utilia & salutaria à Deo offeruntur, debetis gratis animis accipere. Crux & ærumna, quæ confessionem Evangelii comitantur, sunt vobis utiles & salutare, quia per eas purgaminis, ut reliquiæ peccati aboleantur. Ergo. Pericula & labores, quos successus Ecclesiæ & vobis salutare sequuntur, non debetis reculare, sed læto & forti animo perferre. Vestros labores.

labores, ærumnas & pericula, quæ in propagatione Evangelii sustinebitis, successus Ecclesiæ, & vobis salutares sequentur, quia feretis fructum multum & fructus vester manebit. Ergo omnis quem in vocantem Deus audit, & cui omnia, quæ petit Deo grata & sibi salutaria benignè tribuit, non debet mœrore & tristitiâ confici, sed læto pectore ad Deum confugere, & bona ab eo petere & expectare. Vos in me manentes Deus audit & c. Ergo. Quos Deus in me dilecto suo Filio diligit, illos nulla afflictio, nulla persecutio, ac ne ipsa quidem mors a Deo avellere poterit. Vos Discipulos meos doctrinæ meæ custodes Pater cœlestis in me dilecto Filio suo diligit. Ergo nulla afflictio & c. vos a Deo avellere poterit, & per consequens vestrum non debet turbari nec formidare. Et sanè non negamus etiam ex hac concionis valedictoria parte peti posse argumenta consolationis, cum Discipulorum, tum omnium piorum ærumnis & mœrori opponenda, interim primarius ac principalis hujus partis scopus est non *consolari*, sed ad constantiam in fide & mutuam caritatem *exhortari*, ut ipse verborum sonus & textus *συνάφεια* mansuetudinem faciant. *Manete, inquit, in me. Manete in dilectione mea.* Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos in vicem. Hac mando vobis, ut diligatis invicem, quæ esse *ἀγάπη* potius quam *ἀρετή* nemo inficias verit. Distinguendum igitur est inter literalem textus explicationem & expositi textus ad usum explicationem. Chrysostom. homil. 75. in Johan. existimat, *Christum hac parabola significare voluisse, quod signa ab Apostolis edenda virtute Christi sint proventura, quâ ratione hæc parabola respiceret ad vers. 12. præcedentis capituli. Qui credit in me, opera, quæ ego facio & ipse faciet & c.* Sed per hanc sententiam principalis parabolæ scopus nimium coarctatur, cum non tantum de fide *ἰσχυρισμός*, sed etiam ac cum primis de fide justificante, quæ nos Christo, ut palmites viti, inserit, in hac similitudine agatur. Quarendæ igitur aliæ connexionis rationes. 1. Christus in præc. cap. dixerat. *In illo die cognoscetis, quod ego sim in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Item vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* quin & Sacramentalem corporis sui manducationem & sanguinis sui bibitionem ad spiritualem manducationem & bibitionem confirmandam in Eucharistia paulò ante instituerat. Hoc unionis spiritualis mysterium latius hic declarat, docens, Apostolos & omnes verè credentes esse in se tanquam palmites in vite, se esse in Apostolis & omnibus verè credentibus tanquam vitem in palmitibus. Proinde etiam ipsos debere in se firmâ & constante fide manere. 2. Christus in præcedentibus de sua persona, officio & beneficiis Apostolos instruxerat, quando se vocavit *viam, veritatem & vitam*, se passione & morte suâ reconciliaturum Patri cœlesti genus humanum, ac iusticiam, Spiritum sanctum & vitam æternam impetraturum. Jam porro docet, se bona illa cœlestia, quæ per passionem & mortem impetraturus erat, non sibi velle retinere, sed velle hominibus communicare per verbum & fidem, quæ sint salutaria communicationis illius media, *verbum* ex parte Dei, *fides* ex parte hominum. Scopus enim hujus concionis est docere, quomodo beneficiorum per mortem parandorum possimus

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars tertia.

ac debeamus participes reddi, videl. per fidem, quæ Christo nos unit & inserit; Itemq; quod non sufficiat incipere in Christum credere, sed quod in fide sit perseverandum. Hanc doctrinam illustrat pulcherrimâ similitudine vitis & palmitum. Ut enim palmites viti sunt inserti, & ab ea trahunt vitalem succum; ita oportet nos fide Christo inseri, si beneficiorum ejus participes fieri velimus. Ut palmites exarescunt, & exciduntur, nisi in vite manent: ita idem metuendum omnibus, qui non manent firmâ & perseverante fide in Christo. Ergo ut in præcedente capite Christus de *acquisitione* suorum beneficiorum egerat, ita jam porro de eorundem *applicatione* in præsentem capite tractat. 3. Christus in præced. cap. de suo habitu, ejusque fructu Discipulis suis concionatus fuerat, ne ergo videretur ab illis planè separari ac se jungi, ideo subjungit, se nihilominus ipsis arctissimè unitum manere, sicut vitis palmitibus manet conjuncta, sequem illis fore efficacem ad omnis generis fructus salutares producendos, sicut vitis palmitibus vim fructificandi suppeditat. Chrysostom. d. l. *Ne dicerent, quando nos omnibus inimicos reddidisti, tunc nos dimittis, tunc discedis, hoc negat, sed ita eis, modo velint, conglutinari dicit, ut palmes viti.* Vice versâ etiam hortatur eos, ne voluntariâ *ἀνομοσύνη* se ab ipso avellant, siquidem spiritualis vitæ & gratiæ participes manere velint. Nec poterat ad mortem jam discedens quidquam magis necessarium, ac salutare ipsis inculcare, quam ne se ab ejus fide & dilectione paterentur separari, quippe quos gravissimum in morte scandalum passuros, & de fide periclitaturos exactissimè præciebat. 4. Prædixerat illis mundi odia & persecuciones, ac gravissima pericula & prælia imminere. Luc. 22. v. 36. Johan. 12. v. 25. sed & paulò post prædictionem illam sic declaratus erat, *mundus vos odit.* Johan. 15. v. 19. *persequentur vos, v. 20. excommunicabunt vos, venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, Joh. 16. v. 2. plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit, v. 20. in mundo pressuram habebitis. v. 33.* necessarium igitur erat, ut contra illarum persecutionum & afflictionum insultum ipsos muniret, proinde hortatur eos, ut verâ & firmâ fide ad se tanquam tutissimam munitionem confugiant, in se permaneant, nec à confessione Evangelii & fide sese averti patiantur, cum omnium adversitatum & persecutionum finis sit, ut instar palmitum purgati copiosorem afferant fructum. 5. Christus in frugifera ficu ante triduum male dixerat. Matth. 21. v. 19. non vestitum indumento nuptiali in tenebras ejectionem prædixerat. c. 22. v. 13. virginibus fatuis oleo destitutis exclusionem à gaudio nuptiali. c. 25. v. 10. servo, qui talentum in terram defoderat, ejectionem in tenebras exteriores. v. 30. illis, qui opera misericordiæ exercere neglexerunt, abjectionem in ignem infernalem. v. 41. comminatus fuerat. Eandem sortem in frugiferis & à vite excisis sarmentis in hac similitudine prædicit; piis verò tanquam frugiferis & in vite manentibus palmitibus omnis generis bona cœlestia pollicetur. 6. Non solum *genimen vitis* in ultima illa cœna præfens fuit. Luc. 22. vers. 18. sed etiam CHRISTUS sanctissimi sui sanguinis communionem in vino, sicut sanctissimi sui corporis communionem in pane instituerat. Matth. 26. v. 26. quin & paulò post in arce crucis sanguinem suum dulcissimum illud vinum.

Z z z z z 4

latifi-



Iustificans Deum & homines effusus erat, convenientissimè igitur hac occasione seipsum *viti* comparat, sic Johā. 6. v. 32. Pani sefe comparaverat *Caro enim ipsius verè est cibus, & sanguis ipsius verè est potus*, v. 55. quā de re in Exegi paulò post pluribus dicitur. 7. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 7. putat, Christum in hac similitudine respectum habere ad verba proximè præcedentia. *Pater major me est* Johā. 14. v. 28. *Cum in superioribus* (inquit) *Dominus dixerit, Pater major me est, continuo subjecit. Ego sum vitis vera & Pater meus agricola est, ut agnosceres secundum id Patrem esse majorem, quia sicut agricola vitium, ita Pater Dominicae carnis est cultor, quæ & augeri potuit, per aetatem & per passionem recidi, ut omne*

*humanum genus ab estu secularium noxiò voluptatum, diffuse salutaribus brachiis crucis umbra velaret.* 8. Potest & hoc notari. Christus in præcedentibus dixerat. *Vivo ego, & vos vivetis*, id est, quia ego vivo, ideo & vos vivetis. Jam ergo exponit connexionis hujus causam, quare scilicet nostra resurrectio & vitam ipsius resurrectione & vita indivulso nexu sit conjuncta, nimirum quia ipse est vitis, nos palmitēs. Sicut palmitēs à vite trahunt vitalem succum, ita nos à Christo vitam spiritualem. Possunt verò duæ hujus capituli Harmonici partes statui. Prior continet exhortationem ad *perseverantiam in fide*; Posterior ad *mutuam dilectionem*.

Pericope prior.

1. Εγώ είμι η άμπελ & η αληθινή, & ο πατήρ μου ο γεωργός & σι.
2. Παν κλημα εν έμοι μη φέρον καρπόν, αϊός αύτό & πών & καρπόν φέρον, καθαίρει αύτό, ίνα πλείονα καρπόν φέρη.
3. Ηδη ύμεις καθαίροι έστε & σι τον λόγον όν λελάληκα ύμιν.
4. Μείνατε εν έμοι, καί γώ εν ύμιν. Καθώς τ' κλημα & δύναται καρπόν φέρειν άφ' εαυτό, εάν μη μείνη εν τή άμπελω & τως & σι ύμεις, εάν μη εν έμοι μείνητε.
5. Εγώ είμι η άμπελ & ύμεις τ' κληματα & ο ιδών εν έμοι, καί γώ εν αύτω, & τ' φέρει καρπόν πολύν & ολιχωρίς έμ' & δύνασθε ποιείν & σι.
6. Εάν μη τις μείνη εν έμοι, & εβλήθη έξω ώς τ' κλημα, & έξηράνθη, & συναγάσιν αύτά, & & σι τ' πυρ & εάλλισι, & καίεται.
7. Εάν μείνητε εν έμοι, & τ' ρήματα μου εν ύμιν μείνη, & εάν θέλητε άντησεσθε, & & σι & σι ύμιν.
8. Εν τώτω έδοξάσθη ο πατήρ μου, ίνα καρπόν πολύν φέρητε & & σι ύμιν.
9. Καθώς ήραψέ με ο πατήρ, καί γώ ήράψησι ύμιας μείνατε εν τή άγάπη τή έμή.
10. Εάν τας εντολάς μου τηρήσητε, μωείτε εν τή άγάπη μου καθώς έγω τας εντολάς & πατρός μου τηρήκα, & & σι μωω αύτα εν τή άγάπη.
11. Ταύτα λελάληκα ύμιν, ίνα ή χαρά ή έμή εν ύμιν μείνη, & ή χαρά ύμων πληρωθή.

1. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est.
2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosorem afferat.
3. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.
4. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.
5. Ego sum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.
6. Si quis in me non manserit, eiectionis est foras sicut palme & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardet.
7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid voveritis, petetis & fiet vobis.
8. In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei Discipuli.
9. Sicut dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos: Manete in dilectione mea.
10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.
11. Hac locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur.

Exegesis hujus pericopes.

Genes. 49. v. 11. Jacobus Patriarcha de Messia. Inter cætera sic vaticinatur: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam: lavabit in vino stolam suam, & in sanguine sua pallium suum.* Quidam statuunt, de tribu Juda oriundo in individuo, hoc esse accipiendum, ut sic describatur fertilitas terræ, quam Judæ posteri sint inhabitaturi, hoc sensu: *Tanta erit in hac sorte vitium vilitas, ut homines nihil curent, ad vites asinos alligare, cum aliàs ad sepes alligari soleant, id est, facient, ut eorum, quos ex viti collectis onerent in vindemia, quia tam femina vini erit illa terna, ut ex unius vitis fructu possit aliquis asinum onerare, ac tanta erit vini copia, ut possint in eo lavare vestimenta sua, quæ aliàs aquis solent elui.* Job. 29. v. 6. Ita exponunt Lyra, Mercerus, Tossanus, Paræus & alii. Sed verba hujus oraculi non de tribu Juda in genere, sed de Messia, ex tribu Juda oriundo in indi-

viduo accipienda esse, patet ex *textu connexionem*. In proximè enim præcedente versiculo, omnium Christianorum Interpretum consensu, extat vaticinium de Messia, quod in hoc vers. continuatur, ut constat ex participio *ligans*, absolutè posito, ac proinde ad præcedens membrum necessariò referendo. 2. *ex compellatione*. Alloquitur Jacobus filium suum Judam, ergo non loquitur de tribu Juda, sicut in reliquis hujus vaticinii partibus, nomine filiorum posteror eorum sive tribus ex filiis suis oriundas compellat, sed de Messia tribu Juda oriundo vaticinatur. 3. *ex ipsius vaticinii consideratione*. Distinctam facit mentionem pulli & asinæ, quod, quamvis *εξηρανωσ* dictum, à multis accipiatur, tamen, in angusti illius oraculi brevitate bis idem repetitum fuisse, non est verisimile. Nec simpliciter mentionem facit vini, sed rubri vini, quod *sanguinem vine* vocat, cujus non est usus in eluendis vestibus, quip-

quippe quæ eo potius sordidarentur, quam eluerentur. Beatus noster Lutherus contra interpretationem de fertilitate fortis Judæ etiam hoc urget, quod facile una vitis etiam in nostris regionibus tam facunda esse queat, ut vinum aquet onus asini, quod hæc duo non sint æquæpollentia, ligare asinum ad vitem & onerare eum vino; quod non sit verum tantam fuisse abundantiam vitium in tribu Juda; quod asinus non soleat ligari ad vitem, ut uvæ portet, sed ut bibat & repletur vino &c. 4. ex paraphrasis Chaldaicæ interpretatione. Targum Hierosolym. sic reddidit. *Quam pulcer est Rex Messias, qui surrecturus est de domo Juda. Ligabit lumbos suos & exhibit in prælium adversus hostes suos. Occidentur Reges cum Principibus. Rubefaciet stervos sanguine & dealbabit collos suos pinguedine fortium illorum. Vestimenta ejus timentur sanguine. Ipse autem similis erit forma botrorum.* Targum Onkelos hoc modo. *Erunt justii in circuitu ejus (Messiæ) & factores legis juxta doctrinam ejus. Purpura bona erit vestimentum ejus, operimentum ejus sericum tinctum coccino, variisque coloribus.* 5. ex Rabinorum & Christianorum Interpretum consensione. Extat quædam autoritas in Berefith. Rabba de R. Mose prædicatore. *Quid est, quod dicit Jacob. Ligans ad vineam pullum suum &c? Ostendit nobis, quod cum venerit Messias ad salvandum Israel, ipse strabit asinum suum & equitabit super illum, & veniet in Israel cum paupertate.* Citant Weidnerus conversus Judæus in locis fid. præcipuis tract. 2. p. 234. & Galatinus lib. 8. de arcanis cap. 9. R. Cahana in h.l. *Verba illa, & ad palmitem, ô fili mi, asinum suum, significant, quod divinitas & Dei filius unietur asino, id est, materia suæ, quoniam אֲשֵׁר id est, asinus materialis interpretatur. Quem admodum etiam asinus fert onera, & vestes viatorum: ita Rex Messias delicta totius orbis super se portabit. Cum autem dicit, lavabit in vino vestem suam & in sanguine uveæ pallium suum, eadem est sententia diversis verbis, quoniam vestis dicit materiam. Galat. lib. 10. cap. 7. Ex Christianis Interpretibus de Messia hoc oraculum exponunt Justinus Martyr. Apol. 2. pro Christ. p. 57. in Dial. cum Tryph. p. 211. Hieronymus in h. l. Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. 41. & alii complures. Sed in explicatione occurrit quædam diverfitas. 1. Hieronymus in qq. Hebraicæ. & plerique ex veteribus referunt ad asinam & pullum, quos Christus sibi adduci jussit regium in urbem Hierosolymam ingressum celebraturus, qualem etiam Messia in urbem ingressum prædixerat Zach. cap. 9. v. 9. 2. Lutherus in comm. accipit de abundantia gratiæ in N. T. quod tempore Christi homines inebriari debeant ab ubertate domus ejus, hoc est, quod sint accepturi Spiritum sanctum ex verbo Evangelii, unde efficiantur alii homines. Utraque expositio admitti potest, cui conjungimus tertiam, quod quemadmodum ingressus Christi asinâ & pullo vesti fuit figura vocationis Judæorum & gentium ad Christi regnum: ita quoque in hoc oraculo Patriarchæ Jacobi eadem verbis prædicatur, ut hac ratione ad rem per asinâ & pulli additionem significatam potius quam ad ipsam asinâ & pulli additionem & Christi super ea equitationem hoc oraculum referatur. Dixerat Jacobus in verbis præcedentibus. *Messia erit obediencia sive aggregatio populorum.* Ut ergo intelligeretur, quos populos ad Messiam dicat aggregandos, subjungit. *Ligans ad vineam suum pullum, & ad**

*vitem, ô fili mi, asinam suam, id est, non solum Judæi per asinam oneribus affuetam significati, sed etiam gentiles per pullum indomitum præfigurati ipsi adhærebant, in cujus rei signum asinâ & pullo vectus Hierosolymam ingredietur, sicut Zacharias c. 9. v. 9. hoc vaticinium ex clariore Spiritus sancti illuminatione postea exposuit. Per vineam usitatum in Scripturis significari Ecclesiam, Pl. 80. v. 9. Esa. 1. v. 1. Jer. 2. v. 21. &c. ergo quando Messias dicitur pullum suum ad vineam ligaturus, significatur, quod gentiles ad Ecclesiæ suæ consortium in N. T. vocaturus sit. Quia verò in Hebræo est nomen אֲשֵׁר quod vitem significat, ideo potest ad Christum ipsum accommodari, quod pullum ad se vitem sit ligaturus h. e. quod credentes ex gentibus sibi per fidem sit uniturus, sicut etiam in posteriore membro dicitur, quod asinam, i. e. Judæos ad se vitem sit alligaturus. Ubi in Hebræo est nomen אֲשֵׁר quod non quamvis, sed optimam vitem eximia vitis genus, in cujus uvis non inveniuntur acini, significat, Esa. 5. v. 2. Jerem. 2. v. 21. id quod pulcherrimè ad Christum electum illum Dei servum. Esa. 42. v. 1. in cujus ore non est inventus dolus, quique nullam fecit iniquitatem. Esa. 53. v. 9. Petr. 2. v. 22. accommodari potest. Sed & hoc observari potest, quod in אֲשֵׁר additur litera Jod actum continuum significans, quod non semel tantum, sed assiduè hoc futurum sit, ut Messias asinam suam & pullum suum ad vitem alliget, id est, ut Ecclesiam ex Judæis & gentibus colligat, eamque sibi incorporet. Dicuntur autem gentiles ipsius Messia pullus, & Judæi ipsius Messia asina, quia non solum ratione creationis est ipsorum Dominus, sed etiam quia ratione redemptionis proprio suo sanguine eos in peculium sibi ascivit, unde subjungitur in vaticinio, quod Messias stolam suam in vino & in sanguine uveæ pallium suum sit loturus. Ambr. lib. de benedict. Patriarch. cap. 4. illud sic exponit, *lavabit gentes sanguine suo.* Origenes homil. 17. in Genes. refert ad Ecclesiam, alii ex Patribus ad ipsum Christi corpus, quod animæ & Deitatis fuit quasi vestimentum, referunt, atque hoc vaticinium cum Esa. 63. v. 1. Apoc. 19. v. 13. conferunt, quæ interpretationes optimè conjungi possunt. Quia enim Christus in passione & morte copiosè suum effudit sanguinem, ita ut totum ipsius corpus eo tingere-tur, ideo etiam mysticum suum corpus, i. e. Ecclesiam ex Judæis & gentibus collectam eodem abluit & mundavit. Ad hoc vaticinium Patriarchæ Jacobi Christus dubio procul remittit Discipulos suos, quando in hac pericope seipsum vocat vitem. Ante dies non ita multos asinâ & pullo vectus regium suum in urbem Hierosolymam ingressum celebraverat, mox post horas pauculas passionem suam aditurus & sanguinem suum in ara crucis effusus. Quando ergo se vitem vocat, remittit Discipulos ad oraculum illud Jacobæum, in quo tum vocatio Judæorum & Gentium per asinam & pullum CHRISTO adducta præfigurata, tum instans passio & sanguinis effusio disertis verbis fuit prædicta, ac simul hortatur eos, ut memores illius oraculi per obædientiam fidei sibi manent alligati & uniti. Duæ igitur hujus pericopes statui possunt partes: 1. Ipsa comparatio. 2. Ex comparatione deducta exhortatio.*

1. Comparatio ipsa tribus absolvit membris.  
Nam

Nam 1. Christus seipsum *viti*, 2. Patrem suum celestem *agricolæ*, & 3. Apostolos ac omnes in se credentes *palmitibus* confert. Primum comparationis membrum proponitur in his verbis: *Ego sum vitis vera*. In Græco articulus bis repetitur *ἐγὼ εἰμι ἡ ἀμπέλῳ ἡ ἀληθινή* vera illa vitis, insignis illa & excellens vitis, ad quam omnes totius mundi vites nihil æstimandæ. Syrus emphasin binâ repetitione pronominis & per præfixum  $\eta$  expressit  $\eta \eta \eta$  Ego ego sum vitis  $\eta \eta \eta$  illa verax, stabilis & firma,  $\eta \eta \eta$  ἀμπέλῳ & vitem & vineam significat, unde LXX hoc nomine non solum utuntur pro  $\eta \eta$  quod vitem significat. Genes. 40. v. 9. & alibi passim, sed etiam pro  $\eta \eta$  quod vineam notat. Levit. 25. vers. 3. Cantic. 2. v. 15. ac pro  $\eta \eta$  quod hortum septo munitum significat Thren. 2. v. 6. Sed quia vinea in V. & N. T. utilitate vocatur *ὄμπελον*, ac quia vinea potius Ecclesiæ quàm Christi figuram continet. Psal. 80. v. 9. Elai. 5. vers. 1. ideo  $\eta \eta$  rectius per *vitem* quàm per vineam hoc loco redditur. In quibusdam Codicibus additur, *ὄμπελον τὰ κλήματα*, sed cum illud à vetustioribus Codicibus tam Græcis quàm Latinis, ut & à Syriaca paraphrasi hoc loco absit, ideo ex v. 5. in hunc primum versiculum à quodam translatum esse suspicari licet, qui existimavit similitudinem sibi non constare, nisi palmitum etiam diferta fiat mentio. Sed hoc metu liberat nos tertium comparationis membrum, ut suo loco videbimus. Ut autem comparatio Christi cum vite sit illustrior, tria veniunt explicanda. Primò quare Christus sese *vitem* nominet? Secundò cur addat se esse *veram* vitem? Tertio secundum quam naturam viti comparetur? Quod ad primum attinet, variæ afferri possunt rationes, propter quas Christus seipsum vitem vocare voluerit, inter quas præcipua est ea, quod arctissimam suam cum Discipulis & omnibus in se credentibus unionem hac similitudine adumbrare voluerit, quem esse præcipuum hujus appellationis scopum ex subjecta exhortatione apparet. Dubium interim nullum, quin propter alia quoque comparationis membra Christus sese vitem vocaverit. Factum igitur hoc 1. propter *Vet. Testam. loquelam*. Ulstim est in Vet. Testam. Ecclesiam comparari vineæ. Deut. 32. v. 32. Psal. 80. v. 9. Cant. 2. v. 12. c. 6. v. 10. c. 7. v. 12. Esa. 3. v. 14. cap. 5. v. 1. c. 60. v. 21. Jer. 2. v. 21. c. 12. v. 10. Ezech. 17. vers. 6. Of. 10. v. 1. Joël 1. vers. 7. quò etiam pertinent typi Noahi Genes. 9. v. 20. Nabochoi 1. Reg. 21. v. 13. & Salomonis Cant. 8. v. 11. quos in c. 152. Harmon. exposuimus, ibidemque convenientiam Ecclesiæ cum vinea per quinque membra deduximus. Quia ergo vinea nihil aliud est quàm ager sive hortus vitibus constitus, ideo quando seipsum vitem illam veram vocat, ex qua totus Ecclesiæ ager vites suas accepit, ideo ad oracula illa Prophetarum Discipulos Mosaicorum & Prophetarum Scriptorum haud ignaros deducit, ut piè secum expendant, populum Israeliticum sive Ecclesiam Israeliticam inter alias causas etiam propterea à Mose & Prophetis comparari vineæ, quia ex illo proditurus erat Messias vera illa vitis, cui omnes pii velut palmites verâ fide insiti fructus ferant Deo gratos & acceptos, quo à quibusdam veterum accommodatur dictum Propheticum. Esa. 5. vers. 7. *Vir Juda*, hoc est, ex tribu Juda oriundus, videlicet promissus Messias, est germen de-

lectabile ejus videlicet vineæ Israeliticæ. Cum primis verò huc pertinet vaticinium Patriarchæ Jacobi Genes. 49. vers. 11. in quo Messias vocatur  $\eta \eta$  eximia & præstantissima vitis, perinde ut hoc loco  $\eta \eta$  ἀμπέλῳ ἡ ἀληθινή, ut paulò ante pluribus ostendimus. Quidam etiam huc accommodant locum Psal. 80. vers. 9. quem Stapulensis in comm. h. l. sic exponit. *Tunc de Agypto transfudit Deus vitem, quando ex Agypto vocavit filium suum.* Matth. 2. v. 15. *destruxit maceriem ejus, quando dedit Judæis potestatem dissolvendi corpus ejus.* Johan. 2. v. 19. *Vindemiaverunt eam omnes qui prætergredebantur viam, quando Scribe & Pharisei prætergrederentur legem omnibus operibus ejus & sanctæ doctrine ejus fructibus contradicendo eum dignum morte judicaverunt.* *Aper de sylva & singularis fera depasta est eam, quando à Pilato Præside à medio sublatus est.* *Perdidit eam Deus, quando plantavit dextera ejus super filium hominis, quem confirmavit sibi, quando resuscitavit eum à mortuis humanitate in immortalitatis gloria resumpta, sed prius incensa igni passionum, tribulationum & dira mortis exterioris & igne immenſe caritatis interioris, & suffossa in manibus, pedibus & latere, totoque corpore exterioris, & in corde vulnere caritatis interioris.* *Filius hominis vir dextra Christus Dominus, quem solum Deus in se & in membris suis confirmabit sibi &c.* Sed in sensu literali agitur ibi de beneficiis vineæ Israeliticæ, id est, Ecclesiæ Vet. Test. præstitis. Concinnius huc referri posset, quòd Sapientia dicit Sirac. 24. v. 23. *Ego quasi vitis germinavi suavem odorem & flores mei fructus gloriae, & divitiarum.* 2. *In primi à se editi miraculi memoriam.* Quando Christus vitem sese vocat, in memoriam Discipulis revocare voluit, quòd in principio ministerii sui aquam in vinum converterit. Joh. 2. v. 11. ut sic verbis & factò ostenderet, quòd sine in hunc mundum venerit, videlicet ut aquam nostræ tribulationis in vinum lætitiæ converteret. Euseb. Emis. in homil. p. 227. *Christus vocatur vitis, quia vinum fert. Inde est, quòd in sue prædicationis initio aquas in vinum convertit, quatenus nova vitis novum vinum funderet, quòd illas nuptias & archibetricium incibriaret.* Hugo in h. l. *Christus vocatur vitis, quia sicut mediante vite aqua mutatur in vinum, sic per Christum factum est ad literam.* 3. *Propter institutam à se paulò prius Eucharistiæ.* Quemadmodum enim Johan. 6. v. 32. & seqq. pani, c. 12. v. 24. *grano frumenti* inter alias causas se propterea comparaverat, quia Sacramentalem corporis sui manducationem mediante pane instituturus erat: ita hoc loco seipsum *viti* comparat, quia Sacramentalem sanguinis sui bibitionem mediante vino, vitis genimine & fructu, instituerat. 4. *Propter vinearum in Palestina frequentiam.* Parabolæ & similitudines desumi solent ab iis, quæ sunt nota, & omnibus obvia. Jam verò Palestina, ut oleis & ficibus, ita quoque vitibus abundabat. Deut. 8. vers. 8. ideo etiam hoc nomine Christus viti potius arbori Apostolis notissimæ, quàm alteri vel arbori vel plantæ sese comparare voluit. 5. *Propter suam cum vites convenientiam, quæ consistit in externi aspectus similitudine.* Vitis lignum exterioris nullam habet speciem, cum sit & nigrum, & hispidum & curvum, interim tamen suavissimum & preciosissimum affert fructum, qualem nec proceræ arbores ferre possunt: Sic CHRISTUS in diebus carnis suæ præfer-

præsertim verò tempore passionis, nec speciem nec decorem habuit, sed fuit despectus, ac noxissimus virorum, Ela. 53. v. 2. & 3. *vermis & non homo* Psal. 22. v. 7. interim tamen suavissimos & preciosissimos fructus attulit, videlicet reconciliationem humani generis cum Deo, remissionem peccatorum, donationem Spiritus Sancti, gratiam, iustitiam & vitam æternam. 2. *In debilitate.* Ut inter omnes arbores (illis enim à Plinio & Columella annoveratur) vitis est debilissima & infirma, ita Christus in diebus carnis suæ, præsertim tempore passionis, quando preciosissimos fructus attulit, visus fuit maximè debilis. *Crucifixus est in infirmitate* 2. Cor. 13. v. 4. *Circumspexit & non fuit, qui adjuvaret.* Es. 63. v. 5. 3. *Indignitate.* Ut inter arbores, quæ ab agricola coluntur, carissima ipsi sunt vitis: Sic Deus in cælo & in terra nihil carius habet dilecto suo Filio, in quo omnis ipius *ædificatio* recumbit Matth. 3. v. 17. Vitis sacra olim fuit habita, ut intelligitur ex illo Horatiano. *Nullum in are sacra vite prius severis arborem.* Christus est *sanctus sanctorum.* Dan. 9. v. 24. *Sanctum ex Maria natum,* Luc. 1. v. 35. 4. *In plantationis necessitate.* Sicut vitem oportet plantari in terra, ut in palmites se postmodum extendat, & fructus proferat: ita Filius Dei per incarnationem in terra quasi plantatus est, ut postmodum in usum nostrum fructificaret. Cælestis agricola hanc vitem in terra nostræ humanitatis quasi plantavit, quando ex Maria virgine Filium suum carnem assumere voluit; incrementum illi dedit, quando hæc vitis *atate & gratia apud Deum & homines profecit.* Luc. 2. v. 52. putavit quasi eam in circumcissione, ab Herode apro eam custodivit, torculari eam subiecit, & fructum ex ea suavissimum expressit in cruce. 3. *In fecunditate.* Vitis vocatur *abundans & fructificans.* Ps. 128. v. 3. quia multos ex se producit & extendit palmites: Sic Christus cælestis illa vitis in palmites se propagare cepit, quando per prædicationem Evangelii Apostolos, & alios ex Judæis ad fidem perduxit donec tandem per universalem Evangelii in omnes gentes prædicationem palmites suos usq; ad fines terra extendit. Ps. 80. v. 12. sicq; Ecclesiam ex Judæis & gentibus colligendo latissime sese diffudit. Sicut vitis, quamvis tempore hyemis sola & palmitibus omnibus desituta videatur, tamen æstatis tempore in palmites complures sese diffundit: sic Christus in statu exinanitionis paucos habet in se credentes, quin & tempore passionis videbatur solus ab omnibus relictus, sed appropinquante resurrectionis ætate non solum priores palmites iterum progerminarunt, sed etiam plures alii accreverunt. Act. 2. v. 41. c. 5. v. 14. Hebr. 2. 10. vide Athanas. in disputat. cum Ario in Concil. Nic. tom. 1. p. 101. ubi hoc comparationis membrum latissime deducit. Sicut vitis antequam fructificet, hyemis injuriam sustinere cogitur: Sic necesse erat, ut Christus prius passionis injurias sustineret, antequam in palmites excreceret & fructum ferret. Joh. 12. v. 24. Sicut vitis est origo palmitum: ita Christus est caput Ecclesiæ suæ. 5. *In abundantia liberalitate.* Sicut vitis succum vivificum in palmites transfundit, adeoq; quicquid habet cum palmitibus sibi insitit communicat: sic Christus succum spirituale & omnia, quæ habet, credentibus communicat, gratiam Patris, iustitiam, *in Deo* & hereditatem cælestem. Cyrill. in h. l. *Quemadmodum radix qualitatem suam palmitibus*

*immittit: Sic unigenitus Dei Filius Patris & suæ Naturæ affinitatem (ut ita dicam) Spiritu dato sanctis largitur, per fidem & sanctitatem ei conjunctis ad pietatem & omne genus virtutis eos nutriens.* Hugo in h. l. *Vitis totum dat palmiti, & nihil ab eo recipit: Sic Christus dat nobis gratis humorem gratiæ & nihil à nobis recipit.* 6. *In odoris fragrantia & suavitate.* Vitis florens fragrantissimum emittit odorem, unde Sirac. 24. v. 23. dicit Sapia. *Ego quasi vitis germinavi evadit, suavem odorem.* Sic doctrina Christi, prædicatione scilicet Evangelii est odor fragrantissimus, quo territa corda reficiuntur 2. Cor. 2. v. 14. 15. Odor ex floribus vitis emanans serpentes fugat: Sic Evangelii odor infernales serpentes propellit. Eusebius Emis. in homil. pag. 227. *Christus vocatur vitis, quia vinum fert.* Omnia enim hæc Evangeliorum verba vina sunt & non quaecumque sed optimum, non de alia nisi de hac vite vindemiatum & expressum 7. *In fructus præstantia & preciositate.* Multæ sunt arbores frugiferæ ac speciosæ, quibus Christus sese comparare potuisset, sicut Sapia dicit Sirac. 24. vers. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano & quasi cypressus in montibus Hermon.* vers. 8. *quasi palma exaltata sum in Gaddi, & quasi planta rose in Jericho.* vers. 19. *quasi oliva speciosa in campo pulchro, & quasi platanus exaltata sum ab aqua.* Christus dicitur *cedrus* propter resurrectionem ad beatam immortalitatem, *cypressus* propter humilitatem, *palma* propter patientiæ robur & firmitatem, *planta rose* propter virtutem fragrantiam & varietatem, *oliva* propter fecunditatem; *platanus* propter umbræ, quam exhibet, suavitatem &c. ac usitatum est in Scripturis piis comparari arboribus frugiferis & fertilibus, ut *oliva* Ps. 52. v. 10. Ose. 4. v. 7. *ac palme* Ps. 92. v. 13. sicut contra impii sterilibus arbustis, ut *myricis ac spinis*, & infrugiferis arboribus, ut *salicibus* comparantur. Sed quia inter omnes arbores frugiferas excellit vitis propter fructus, videlicet vini præstantiam & preciositatem, ideò etiam Christus omnium optimus arbori omnium optimæ sese comparat. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 168. *Quando quidem Dominus vitem seipsum appellavit, ut qui peccus humectantem ac voluptate afficientem prædicationem præberet, idcirco Scriptura divinâ veram divinæ cognitionis doctrinam vinum necessario appellat. Hoc in poculo quoq; sapientia bibendum porrigit per poculum nimirum Domini latus intelligens, ex quo nobis vitæ jucunditas & oblectatio profuxit.* Hugo in h. l. *Christus dicitur vitis, quia sicut mediante vite mutatur aqua in vinum, sic per Christum aqua tribulationis & angustie convertitur in vinum jucunditatis & letitiæ.* Et sicut de vite vinum, sic de latere Christi sanguis effluxit. Nimirum ut vinum ex vite naturali natum vocatur *sanguis vite.* Plin. lib. 14. cap. 3. *vinum terre sanguis: ita sanguis, quem vitis cælestis Christus Jesus in ara crucis profudit, est vinum cælesti illa vite natum.* De vitis genimine dicit Psalter Regius Psal. 104. v. 15. *quod letificet cor hominis;* Jotham in parabola sua Jud. 9. vers. 13. *quod Deum & homines letificet, ubi per Elohim vel intelliguntur magnates, qui unâ cum plebeiis vino exhilarantur, vel verus Deus, qui delectabatur sacrificiis, in quibus vinum adhibebatur, quæ dicebantur libamina sic Christus spiritualis & cælestis illa vitis protulit tales fructus, qui Deum & homines latificarent.* *Obtulit enim seipsum Deo in odorem suavitatis*



*vitis*. Eph. 5, 2. ac per mortem suam totum genus humanum Deo reconciliavit. 2. Cor. 5, 18. De vitis genimine dicitur, quod *tristitiam & maerorem cordis expellat*. Prov. 31, v. 7. *curarum oblivisci faciat, calefaciat, sinebriet*. Cantic. 5, v. 1 ac desertos faciat. unde Poeta de illo canit: *Vina parant animos*. Item:

*Fecundi calices quem non fecere desertum?*

Sic spiritualis nostra vitis protulit fructus ejusmodi, qui tristitiam mundi ex corde nostro expellunt, terrenorem nos oblivisci faciunt, calorem caritatis nobis infundunt & spiritualiter nos inebriant, ut loquamur ex spirituali latitia ea, quae filiis hujus seculi absurda videntur. Cantic. 2, 4. c. 7. v. 9. Eph. 5, v. 18. hoc spirituali vino inebriati Apostoli loquebantur magnalia Dei Actor. 2, v. 11. & 13. Albertus in h. l. *Tantum vini effudit haec vitis, ut & a sellis gentilis & a synagoga vino latitia ejus onusti recedant*. De vino, quod haec vitis, protulit, dicitur Zach. 9, v. 16. quod *germinat virgines*, id est, praedicatio Evangelii tales parit filios, qui non sunt infantes & rudes in fide, sed instar nubilium & matrimonio aptarum virginum, quae alios Christianos parere, hoc est, in formatione sua ad vitam aeternam erudire possint. Fructus, quos haec vitis protulit, sunt *gratia Patris candidor, sanguinis Christi rubor & charismatum Spiritus sancti splendor*. Fructus, quos haec vitis protulit, non solum ad hanc vitam pertinent, quales sunt, gratia Dei Patris, remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritus sancti &c. sed etiam in futuram vitam sese extendunt, quales sunt beatifica Dei visio, aeterni gaudii perceptio, perfectissima cum Deo unio &c. Quod si enim palmites beneficio hujus vitis talem proferant fructum, qui *manet*, id est, in aeternum perdurat, sicut Christus paulo post testatur v. 16. quanto magis vitis ipsius fructus sunt manentes, id est, perpetuo durantes & aeterni. Athanasius in disp. cum Ario in Concil. Nicen. tom. 1. pag. 101. *Fructus hujus vitis est vita, & nudum, pax, dilectio, justitia, fides sincerissima, cognitio, religio, sanctitas, gravitas, humanitas, mansuetudo, continentia, aliaque similia*. In vitis ac palmitum qualitate. Praecipuus ac principalis scopus, propter quem Christus sese *viti & Apostolos* postea palmitibus comparat, eo spectat, ut doceat Apostolos, & omnes credentes arctissime per unionem mysticam sibi esse conjunctos tanquam palmites eum vite, ac quemadmodum ex vite in palmites succus influit, quo illi animantur, vegetantur, & fecundantur ad proferendos fructus suavissimos: ita Apostolis & aliis fidelibus donari à se Spiritum sanctum, quo illi spiritualiter vivificentur, vegetentur & apte reddantur ad proferendos bonorum operum fructus. Vitis copiosum imbibit humorem, quem palmitibus postea communicat: Sic Christus est plenus gratia & veritate Joh. 1, 14. *ex ejus plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gratia* v. 16. Vitis est radix, basis & fundamentum, ac ut Cyrillus loquitur. lib. 10. in Joh. c. 13. *mater & nutrix palmitum*, eos fovens & sustentans: Sic Christus est radix & genus David Apoc. 22, v. 16. basis & fundamentum Ecclesiae, credentes in se fovens & sustentans. Vitis est palmitibus homogena, id est, ejusdem cum ipsis Naturae: sic Christus juxta humanam Naturam est nobis *quosdam os de omnibus nostris & caro de carne nostra*. Eph. 5, v. 30. Hebr. 2, vers. 14. Differentia tamen in eo est, quod palmites ex vite nascuntur

naturaliter, sed credentes non nascuntur ex Christo naturaliter, sed spiritualiter. Job. 1, v. 9. Juxta naturalem generationem sumus palmites non Christi, sed Adami, à quo vitiosum peccati succum per carnalem propagationem trahimus, sed fide Christo spirituali & coelesti viti inferimur, ut vitae spiritualis succum ab ipso accipiamus. Quod si ergo palmites sylvestres radici vitis infererentur & ex illa humorem salutarem attraherent, id quod in Palaestina regione fertilissima usitatum fuisse vero non est ab simile, praefertim cum Weckerus de secretis l. 9. c. 57. *de vitium infectione per ceterationem perficienda*. ex professo tractet) tum spiritualis nostra cum Christo conjunctio per illam sylvestrium vitium in radicem vitis inlitionem melius praefiguraretur, quam per naturalem palmitum ex vite propagationem, ut docet Apostolus Rom. 11, v. 17. Quidam notant, Christum se non vocare radicem vitis, sed ipsam vitem, cujus ipsi palmites sunt partes & membra. Ut enim Paulus 1. Cor. 12, v. 12. Christum non tantum vocat caput corporis Ecclesiastici, sed Ecclesiam simul cum suo capite Christo dicit esse *unum corpus* ipsius Christi, quod corpus vocat Christum, propter quod fideles dicuntur Christi membra: ita Christum hoc loco dicere, se esse vitem totam, quamvis in sua persona tantum sit radix ipsius vitis & truncus, & quoniam haec vitis Christum simul cum omnibus fidelibus comprehendit, ideo aliquando Ecclesiam dici vitem Dei spirituales, sicut corpus Christi mysticum nunc dicitur Ecclesia, nunc ipse Christus. Sed quia non solum in v. 5. sed etiam in v. 3. palmites à se viti Christus distinguit, ideo rectius statuitur, quod Christus de se, quatenus est caput Ecclesiae, loquatur & à palmitibus tanquam membris se distinguat, quando se ipsum vitem vocat. Ac quemadmodum parabola illa, in qua Christus se ipsum comparat filio patris familias sive Domini vineae Matt. 21, v. 37. distincta est ab hac similitudine, in qua se viti comparat: ita quoque similitudines illae, in quibus tota Ecclesia vineae, hoc est, agro multis vitibus confito confertur, distinctae sunt ab hac similitudine, in qua omnes fideles, id est, tota Ecclesia consideratur unius vitis. Christi scilicet, palmites. In parabolis enim ac similitudinibus semper respiciendus est principalis scopus, propter quem adhibentur; qui alius est in parabola Matth. 21, v. 37. alius in reliquis parabolis & similitudinibus, in quibus Ecclesia vineae comparatur, alius in hac ipsa similitudine, quem scopum superius exposuimus. Quod alteram quaestionem attinet, quare se *veram vitem* nominet, ad eam diversimodè ab Interpretibus respondetur 1. Augustinus statuit, hoc epitheton addi ad differentiam vitis illius vitiosae, quae describitur Deut. 32, v. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum & de agro Gomorrhae. Ilva eorum uva fellis & botri amarissimi*. v. 33. *fel Draconum vinum eorum*. Esa. 5, vers. 2. *expectavi, ut vinea mea ferret uvas & tulit labruscas*. Jerem. 2, v. 21. *Ego plantaveram te vitibus generosis & totam optimo semine. Quomodo igitur mibi conversa es in palmites degeneres vitis alienae?* Dicitur, (inquit tract. 80. in Johan.) *vitis per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dum dicitur ignis, leo, petra, lapis angularis & cetera hujusmodi, quae magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istae similitudines non proprietates. Sed cum dicit, ego sum vitis vera, ab illa se utique discernit, cui dicitur, quomodo con-*

versa es in amaritudinem vitis alienae? nam quo pacto est vitis vera, quae expectata est, ut faceret uvam, fecit autem spinam? quae verba, uti solet, repetit Beda in hunc locū. Euseb. Emiffen. in hunc locum p. 22. 7. sic commentatur: Dicitur vitis vera, fortassis ad illius vitis distinctionem, quae pro uvis labruscas, & pro vino dedit acetum. Hujus vini semper dulce, semper suave, hujus verba semper vera, & nullius falsitatis admistione corrupta. Similia occurrunt apud Athanasium in disputatione cum Ario in Concilio Niceno, tom. I. p. 101. Adamus itidem est vitis, quia ex eo velut palmites nascimur: sed non est vera vitis dulces fructus germinans, verum injustitiam & mortem in nos propagat. Christus autem est vitis vera justitiam & vitam germinans. 2. Euthymius veram interpretatur, perfectam, eximiam ac spirituales, quae ratione etiam ad naturalem vitem respectu habito Christus fese veram vitem vocaret, quod ut melius percipiatur, notandum est ex Dionysio, quod spiritualia corporeis sint veriora & praestantiora, cum omnia corporalia sint quaedam umbrae & imaginum ferum spiritualium, quae per illa praefigurantur, quibus proinde utpote rebus significatis quod rem ipsam attinet, longè perfectius competunt nomina signorum, quam ipsi signis externis, quamvis ex modo significandi per prius competant corporeis. Juxta hanc explicationem nomen veri non opponitur falso & ficto, sed umbratili & similitudinario, aut illi, quod per participationem tantum, non autem perfectà ratione tale est. 3. Cum hac expositione ferè congruit, quod quidam statuunt, Christum se vocare vitem veram, non propter veram naturam communionem cum vite naturali, sed propter veram & perfectam cum ea similitudinem, quod planè similis sit viti, quod ratione officii ac beneficiorum suorum planè respondeat viti, quod non sit sterilis sed efficax, ac ratione unionis cum palmitibus & communicationis sui humoris omnino sic se habeat ad credentes, sicut vitis ad palmites. Sic cum Esaias jussu Domini omnem carnem feno comparasset, cap. 40. v. 6. subjicit, verè fenum est populus, id est, populus omnino veram & perfectam cum feno habet similitudinem. Sic Joh. 1. 9. Christus dicitur lux vera, & cap. 6. v. 32. panis verus, quia ratione operationis rectissime cum luce & pane confertur, atque eadem beneficia animabus hominum praestat, quae lux naturalis & panis ex frugibus paratus corporibus hominum praestat. 4. Simul etiam sese praefert externae viti, quae vinum quidem producit, sed naturae tantum, quod corpus duntaxat nutrit, roborat & exhilarat, Pl. 104, 15. imò in quo est luxuria, Eph. 5, 18. cum immoderatè sumtum exilium mentis inducat. Sed Christus est vitis longè dignior, imò infinitis modis praestantior, quippe quae producit vinum spirituale, quod animam hominis nutrit, roborat & exhilarat, per quod pleni Spiritu S. reddimur, ut in *ἀντιθέσει* Apostolus ibidem subjicit, in quo immoderatus usus nullum potest habere locum, sed quò assumitur copiosius, eò homini est utilius. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 3. *Vino qui inebriatur, vacillat & titubat. Spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo praecleara ebrietas, quae sobrietatem mentis operatur.* Juxta hanc expositionem Christus dicitur vera vitis ab effectu praestantiore, quia longè melius & perfectius fovet, vegetata ac nutrit credentes sibi inlitos, quam palmites suos vitis naturalis, sicut etiam dicitur vera lux, quia melius & Harm. Tom. II. vel Gerh. Contin. pars tert.

perfectius illuminat; verus panis, quia melius & perfectius nutrit. 5. Sic ergo hoc *προσδιόρισμα* non solum à vite naturali sese discernit, eique praefert, sed etiam ab omnibus, qui Mediatoris officium (cujus respectu viti sese comparat) vel quae ad Mediatoris officium pertinent, sibi arrogant, sese sejungit, ac docet, se unum & solum esse Mediatorem, à se solo unice expectanda & expectanda esse ea, quae ad nostram cum Deo reconciliationem, & spirituales in bonis operibus fructificationem requiruntur. Ex quo fundamento facile responderetur ad tertium quaesitum, juxta quam naturam Christus viti comparetur. Cyrillus lib. 10. in Joh. cap. 13. memorat, Arianum quendam statuisse, *Christum ratione divinae tantum naturae vitem esse, quia cum corpora nostra non dependant à carne Christi, ut palmites à vite, nec sanctorum fructus corporeus sit, sed potius spiritualis. Deitas ergò Filii vitis est, unde per fidem pendemus.* Quidam ex Pontificiis volunt, *Christum secundum humanam tantum naturam esse vitem, juxta quam fideles sunt ejusdem cum ipso naturae, cum viti & palmites unius sint naturae.* Sed neutra opinio probari potest. Ut enim Christus non secundum divinam tantum, nec secundum humanam tantum naturam est Mediator, sed secundum utramque naturam; ut non secundum divinam tantum, nec secundum humanam tantum, sed secundum utramque naturam est Ecclesiae caput: ita quoque non secundum divinam tantum, nec secundum humanam tantum, sed secundum utramque naturam viti comparatur. Utrumque in vite animadvertitur, tum quod sit palmitibus homogena, tum quod palmitibus succum vitalem suppeditet. Priore respectu Christus cum vite comparatur secundum humanam naturam, quippe juxta quam cum palmitibus, id est, credentibus, est ejusdem naturae. Posteriore respectu Christus cum vite comparatur secundum utramque naturam. Quamvis enim spiritualis vita & humor gratiae ad fructus bonorum operum producendos nos fertiles reddens à divina Christi natura originem trahat: tamen cum humana ipsius natura in ipsam *λογὴ ἑνωσασα* evecta indissolubiliter ei sit unita, ac vim *ζωοποιήσασα* per communicationem personalem ab ea acceperit; ideò *ὁ λόγος ἑνωσασα*, non amplius immediatè, ut ante incarnationem, sed mediatè, videlicet in carne, cum carne & per carnem spirituales vitam & humorem gratiae ad fructus bonorum operum producendos nos fertiles reddentem nobis communicat; nec ipsius tantum Deitati fide conjungimur, per quam conjunctionem unus cum ipso Spiritus, 1. Cor. 6. v. 17. ac divinae naturae participes reddimur, 2. Petr. 1. v. 4. sed etiam ipsius humanitati tum per Sacramentalem tum per spirituales corporis & sanguinis ipsius manducationem ac bibitionem utimur & quasi incorporamur, quae de re pii veteres sic loquuntur: August. tract. 80. in Joh. *Iste locus Evangelicus, ubi Dominus se dicit vitem, & discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesiae, nosq; membra ejus, Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Unius quippe naturae sunt vitis & palmites. Propter quod cum esset Deus, cujus naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus. Tract. 81. *Quamvis Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non praebet,*

beret, nisi etiam Deus esset. Cyrillus d.l. Christus hoc ostendere voluit, quemadmodum ramis arborum à radice qualitas, nutrimentumque præbetur: sic spirituum virtutem fructuum ab eo nobis concedi. Omne namque bonum non à nobis, sed divinitus datum habemus. Deo autem nihil datur. Ipse enim origo omnium est, ideo radix & quasi vitis est Christus, nos autem palmites &c. Et postea: Non negamus nos rectâ fide, caritateq; sincera Christo spiritualiter conjungi. Sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque à divinis Scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit, Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitem inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus, omnes enim uno pane participamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticâ benedictionis virtutem esse? quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? cur enim membra fidelium membra Christi sunt? &c. Salvator etiam, qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & Ego in eo. Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igno liquefactam ceram alia ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisq; factum videatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hac natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Atque ex eo jam apparet, quid respondendum sit Ariani, qui ex eo, quod Christus sese viti, Patrem vero agricolæ comparat, inferre voluerunt, Filium non esse Patri *ὁμοῦσιν*, sive consubstantialem, cum vitis & agricola non sint unius naturæ. Nam 1. Christus non solum ratione humanæ, sed etiam ratione divinæ naturæ sese viti comparat, ut modò ostendimus. Ergo ut secundum humanam naturam nobis hominibus, ita secundum divinam naturam Patri suo cœlesti est *ὁμοῦσιν*, ac per consequens non solum verus homo, sed etiam verus Deus cum Patre ratione essentia unum, Johan. 10. v. 30. 2. Inde etiam in hac ipsa comparatione Deum vocat suum Patrem, seipsum æqualem esse docens Patri, Johan. 5. v. 18. dicitur enim Patris cœlestis Filius, quia ab æterno ex ipsius substantia genitus est ejusdem cum ipso naturæ & essentia. Proinde hæc vitis planè singularis est ac mirabilis, quippe quam agricola ex sua essentia genuit, cujus simile exemplum in vite naturali non datur. Cyrill. d.l. *Miror, si alium à natura Patris Filium putat (Arianus) quomodo Patris & Filii nominibus utitur? Quomodo enim verè erit Filius, si à substantia ejus natus non est? Qui negat Filium, Patrem quoq; negat, ait Johannes &c. Qui verò diversum substantia unigenitum à Patre opinatur, is Filium esse negat, Patrem igitur etiam esse negat.* 3. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 7. argumentum Ariano-rum deducit ad absurdum. Si ut inter agricolam & vitem, ita etiam inter Patrem & Filium divinitatis creditis esse distantiam, geminam Filio, geminam Patri facitis injuriam. Filio, quia si secundum divinitatem inferior est quàm agricola, inferior etiam Paulo Apostolo, vestrà asser-tione necesse est affirmetur, quia & Paulus agricolam

se esse dixit, 1. Corinth. 3, 6. Num ergo vultis, ut Paulus melior sit Filio Dei? habetis unam injuriam. Alteram, quia si secundum substantiam generationis æternæ vitis est Filius, cum dixerit: Ego sum vitis, vos palmites estis, unius nobiscum etiam illa divina generatio videbitur esse substantiæ &c. Nec tamen soli Filio derogatis, sed etiam Patri. Nam si in agricolæ nomine omnis paternæ prerogative est potestatis, cum etiam Paulus agricola sit, Patri utique cui Filium negatis æqualem, Apostolum comparatis. Denique cum scriptum sit, sed neque qui plantat, est quicquam, neque qui rigat, sed qui dat incrementum, Deus, in eo nomine vos summam paternæ majestatis locabitis, quod videtis infirmum. Si enim qui plantat & qui rigat, nihil est, sed qui dat incrementum, Deus, videte, quid vestra molitior impietas, ut & Pater nomine sit contemnendus agricola, & Deus aliquis, incrementum paterno operi qui tribuat, requirendus. 4. Neque propositum est Christo in hac similitudine docere, quâ ratione ad Patrem sese habeat, an ejusdem, an diversæ cum ipso sit natura; sed quâ ratione ad nos sese habeat, quod nobis fide sibi infitis spirituales vitam, & vitam bonorum operum fructus producendi suppeditet, quodque sine ipso nihil quicquam boni facere possimus, sicut palmites sine vite nec vivere nec fructus producere possunt, quem principalem hujus similitudinis scopum ipsemet fati luculentè explicat. Ut ergo in parabolis, ita quoque in similitudinibus non est progrediendum ultra tertium, in quo comparationes instituuntur. 5. August. tractat. 80. in Joh. monet, Christum paulò post demonstrare, se non solum esse vitem, sed etiam agricolam & palmitum cultorem, ad-eoque cum Patre unam operationem, & unam essentiam habere, quando addit: *Jam vos mundi estis, propter sermonem meum, qua de re paulò post videbimus.* Nec Ariani solum, sed & Calviniani verbis hisce Christi abutuntur, quippe qui ex illis probare cupiunt, ut verbum substantivum Sum in illis ponitur pro significat; ita quoq; in verbis Eucharistiæ eodem modo accipi, ac proinde panem Eucharisticum non esse medium, per quod præsens Christi corpus manducandum exhibeatur, sed absentis duntaxat corporis signum; ac vinum Eucharisticum non esse medium, per quod præsens Christi sanguis bibendus exhibeatur, sed absentis duntaxat sanguinis signum. Atqui 1. si vel maximè probari posset, copulam est in hoc & aliis Scripturæ locis poni pro significat, nondum tamen evictum foret, etiam in verbis Eucharistiæ eo modo accipiendum esse, cum plurimis iisdemque evidentissimis argumentis demonstrari possit, τὸ πρὸς in verbis Eucharistiæ archèsimè esse tenendum. Confer Lutherum in præfat. syngramm. tom. 3. Jen. Germ. fol. 340. b. 2. Negamus verò verbum est hoc loco poni pro significat. Bucerus putat hoc non posse negari, sic enim in hunc locum commentatur: *Dominus non nisi per metaphoram, eoz; ob similitudinem se vitem vocat. Vitis si simpliciter accipias, arbor est vinifera, non Christus Deus & homo. Nihil enim est, quod dicunt Artocreatistæ (hoc encomio nostræ Ecclesiæ Doctores honorat) Dominum se vitem vocasse, non quod se viti similem, sed quod esse vitem veram, sed spirituales voluerit significare. Quid quæso est vitis spiritualis? nunquid res spiritualis id in suo genere, quod est in suo vitis corporalis? logodædali sunt isti ex Theologis. Sed mutat Bucerus quæstionis statum. Non quæritur, an Christus viti naturalis sese similem statuatur, sed an verbum est in propo-*

propositione Christi exponi possit ac debeat per *τὸ significat*, id quod negamus. Nam 1. Christus non simpliciter dicit, Ego sum vitis, sed Ego sum vitis *illa vera*, videlicet per naturalem vitem præfigurata. 2. Si *τὸ est* exponeretur per *significat*, absurda inde emergeret propositio: Ego Christus significo vitem, cum vitis potius significet Christum, si tamen propriè & accuratè loquendo inter vitem & Christum est quædam significatio, cum rectius *similitudo* illis intercedere dicatur. 3. Si Christus non esset *vera illa*, id est, mystica & spiritualis *vitis*, sed tantum vitem spiritua-lem significaret, ulterius quæreretur, quæ tandem sit spiritualis illa vitis per Christum significata? 4. Id quod significat, semper nobilissimum ac præstantissimum est eo, quod significatur. Christus ergo utpote omnium nobilissima & præstantissima vitis à vite naturali significatur, non autè vitem significat. 5. Non ergo de naturali è terra crescente vite Christus loquitur, sed de vite cœlesti ac spirituali, ideò notanter addit: *Ego sum vitis vera*, id est, mystica illa, spiritualis ac cœlestis, cui Apostoli & reliqui fideles ut palmites insiti succum vitæ ex ea trahunt. Porò generales causas, propter quas per parabolas & similitudines Christus aliquoties fidei mysteria declarare voluerit, exposuimus superius in c. 15. Harm. hic de similitudine vitis in specie notandum, 1. quòd Christus eam, utpote Prophetis usitatam, ideò adhibere voluerit, ut ostenderet, se esse eum, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, Act. 10, 43. inque eum unicè respiciunt, ac Prophetarum oracula nobis commendaret. 2. Quòd per eandem docere voluerit, se omnibus verè credentibus arctissimè, spiritualiter tamen & mysticè, esse unitum, iisdemque ut membris suis fide sibi insitis, & quasi incorporatis impertiri vitam spiritualem mediante Verbo & Sacramento per Spiritum sancti gratiam operantibus, atq; efficere in illis novam lucem divinæ cognitionis, iustitiam & omnes fructus spirituales Deo gratos. Item credentes fide secum quasi coaluisse, & omnem spiritualiter fructificandi efficaciam à se recipere. Cyrillus d. l. *Ut quantum oporteat inherere sibi, & ab eo pendere, & quantum nobis hoc prodest, ostenderet, vitem seipsum exempli ratione, & palmites affixos in eo credentes appellavit, qui participatione Spiritus, per quem Salvatore conjungimur, naturæ suæ communicamus.* 3. Quod per eandem se tanquam unicum Mediatorem & Salvatorem ab omnibus aliis, à quibus homines remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam sperant, discernere voluerit, docendo à se solo reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, iustitiam, donationem Spiritus sancti, consolationem in ærumnis, auxilium & successum in vocatione, hæreditatem regni cœlestis sperari, & fide impetrari posse. Ut enim palmites non aliunde nisi ex sola vitæ succum vitalem & fructificantem haurire possunt: ita quoq; enumerata beneficia non aliunde nisi à solo Mediatore Christo accipere possumus. Ut multi quidem palmites, sed una duntaxat est vitis, à qua vitalis succus oritur: ita multi sunt, qui verà fide beneficiorum Christi participes fiunt, sed unus tantum est Mediator & Salvator. Ut palmites extra vitem; ita nos omnes extra Christum sumus mortui, aridi & infrugiferi, cum à solo Christo omnis spiritualis vis & fructus unicè descendat. 4. Quod per eandem nos admonere voluerit, ut vel ipsimet in vinea laborantes, vel alios in ea laborare

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars tert.

videntes, memores horum verborum, animos nostros ad meditationem rerum cœlestium, videlicet arctissimæ conjunctionis, quæ cum Christo nobis intercedit, elevemus, adeoque per scalam creaturarum non solum ad cognitionem Dei ascendamus, sed etiam Christi beneficia in rebus naturalibus præfigurata esse agnoscamus.

In altero membro Christus Patrem suum cœlestè comparat agricolæ. Ego, inquit, sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Vinitor propriè dicitur *ὁ ἀμπεδωγός*, quo nomine utitur Christus, Luc. 13, v. 7. ac apud LXX. Interpp. occurrit pro *דבר* usurpatum, 2. Reg. 24, 32. 2. Paral. 26, 10. Es. 61, 5. Jerem. 52, 13. sed Christus loco illius hic utitur generali nomine *ὁ γεωργός*, agricolæ, ut & Syrus nomine *גַּרְטָן*, quod *cultorem*, sive *aratorum* significat, vel quod generale nomen pro speciali *Κυρεδογίας* ponatur, vel quod verisimilius, ut innuatur, Patrem cœlestem, non tantum ratione *specialis providentiæ*, circa culturam vineæ spiritualis, id est, circa curam Ecclesiæ esse occupatum: sed etiam ratione *generalis providentiæ*, totum mundum, & omnia, quæ sunt in eo, curare & gubernare, *ager enim mundus est*, Matth. 13, 38. quem ut hic cœlestis agricola condidit: ita quoque adhuc hodie sustentat, fovet & gubernat. Nec absurde cogitatur, Patrem ideò à Christo vocari *γεωργόν*, ut innuatur, quòd *terram*, id est, humanam nostram naturam, quæ terra est, in Christo per suam culturam ita provexerit, ut in ipso *divine nature facti simus consortes*, sicut ipse nostram naturam assumsit. Patris nomen hic non accipitur *ἰσχυρός*, prout omnibus tribus Deitatis personis commune est: sed *σοφιστής*, prout primæ Deitatis personæ proprium est. Propositum enim Christo est demonstrare, quid singulæ Trinitatis personæ circa salutem nostram operentur, unde seipsum comparat *viti*, Patrem *agricolæ*, Spiritum sanctum *vitali succo*, quem palmites ex vitæ trahunt. Patri in symbolo Apostolico appropriatur *creatio*. Jam verò ad creationis opus pertinet providentiæ, cujus ratione & respectu Pater hoc loco agricolæ comparatur. Adde, quod aliàs etiam Christo usitatum sit, ad Patrem tanquam originem & fontem omnia referre, quæ in negotio salutis nostræ divinâ benignitate peraguntur. Quidam addunt, quòd ideò Patrem peculiariter *agricolam* faciat, ut officium puniendi eos, qui non credunt, à se removeat, & Patri illud tribuat, Joh. 5, 45. Sed præcipuum agricolæ officium benignitatis potius est quam severitatis, ut postea apparebit. Ergo non potest cogitari, quòd ob severitatem Christus à se illud removerit. Filio in symbolo Apostolico tribuitur *redemptio*. Jam verò ad opus redemptionis pertinet incarnatio, & beneficiorum cœlestium per passionem, mortem, resurrectionem &c. acquisitio, cujus ratione & respectu Christus seipsum *viti* comparat. Cum enim vitis & palmites sint ejusdem naturæ; ideò Filius Dei homo factus est, ut per naturæ *κοινήτην* spiritualis nostra vitis esse posset. Spiritui Sancto in symbolo Apostolico tribuitur *sanctificatio*. Jam verò ad opus sanctificationis pertinet, quod Spiritus S. vitam spiritualem, & novas vires producendi bonorū operum fructus nobis confert, cujus ratione & respectu comparatur *vitali succo*, quem palmites ex vitæ hauriunt. Interim ut per hanc operum divinorum appropriationem, nec Filius nec Spiritus sanctus ab opere creationis; nec Pater nec

A a a a a 2

Spiritus



Spiritus sanctus ab opere redemptionis; nec Pater, nec Filius ab opere sanctificationis excluduntur, cum opera Trinitatis ad extra sint indivisa: ita quoque per illud, quod Pater vocatur agricola, nequaquam à cultura vitis Filii excluditur, quippe qui Joh. 5. vers. 17. dicit: *Pater meus operatur, & Ego operor.* Atque hoc sensu accipimus Veterum dicta, quod non solum Pater, sed etiam Filius sit agricola. Chrysostomus homil. 75. in Johannem, super verba: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Vides, quomodo se palmitum curatorem profiteatur? Ego vos purgavi, inquit. Atqui superius hoc Patris officium ostendit, sed nulla est inter Patrem & Filium differentia (ratione essentia.)* Augustinus tractat. 80. in Johann. *Cum de Patre tanquam de agricola dixisset, quod infructuosos palmites tollat, fructuosos autem paret, ut plus afferant fructus, continuo etiam seipsum mundatorem palmitum ostendens. Jam vos, inquit, mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Ecce, & ipse mundator est palmitum, quod est agricole, non vini officium.* Cyrillus lib. 10. c. 13. *Non modò salus nostra, verum etiam omnia, quæ à Deo fiunt, unâ voluntate ac potestate supremae naturæ sunt. Ac idèò gratias agentes Deo, quoniam nostri miseratus est, Salvatorem appellamus, non Patri, aut Filio aut Spiritui sancto, sed Deitati simpliciter hoc attribuentes. Pater igitur nos ad pietatem & fidem per Filium in Spiritu nutrit, & agricole opera facit, aspiciens & fovens, & omni ad virtutem redigens curâ per Filium similiter in Spiritu, &c. Nam si alia Patri, alia Filio seorsim accommodabimus, quoniam vitis Filius nuncupatur, Pater verò agricola, à solo Filio contineri & nutriri videbimur, à Patre autem nullâ solummodo visitatione colitur. Vitis enim palmites suos nutrit: agricola verò visitat solummodò vitem & colit. Quare nec illud à Patre, nec hoc à Filio, nec utrumque à Spiritu separandum. Omnia enim à Patre per Filium in Spiritu sunt. Idcirco enim Patrem cultorem vitis appellavit, ne quis unigenito soli salutem nostram attribuat, & ad hæc, ut discamus, visitatione divinâ nos indigere. Commodissimè igitur, cum vitem & palmites nominaverit, cultoris quoque fecit mentionem, curâ, providentiâ, gubernationeque Dei adduci ad virtutem, continerique nos demonstrans. Atque ex hoc fundamento facile erui possunt membra comparationis, propter quæ Christus Patrem cœlestem nominet agricolam. Basilii lib. 4. contra Eunom. & Chrysost. d. l. statuunt, non respectu vitis, sed palmitum duntaxat hoc nomen ipsi tribui, cum non vitis, sed palmitum curam agat. Faciunt hoc eo fine, ut Arianorum argumento, (quod agricola & vitis sint diversæ naturæ, quodq; vitis sit in agricola potestate) eò melius occurrant. Sed negari non potest, agricolam non solum palmitum, sed etiam radicis curam agere, ac in spirituali & cœlesti illa vite, de qua hic sermo est, rem eodem modo sese habere, cum non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam Christi viti comparetur, ut superius ostendimus. Comparatur igitur Pater cœlestis agricola; tum vitis tum palmitum respectu, & quidem 1. ratione plantationis. Ut agricola plantat vitem: ita quoque Pater cœlestis vitem hanc spiritualem plantavit, quando Filium suum in mundum misit, eundemque carnem de nostra carne fieri voluit. Sic ergo totum Christi officium mediatorium, & totum salutis nostræ mysterium à Patris*

cœlestis consilio & voluntate pendere docetur, quippe qui vitem hanc nobis, & nos in illa plantavit. 2. ratione delectationis. Sicut agricola vite & palmitibus delectatur: ita quoque Pater cœlestis delectatur Christo, Matth. 3. v. 17. & omnibus, qui per fidem instar palmitum sunt in ipso, Eph. 1. v. 6. 3. ratione cognitionis. Sicut agricola vitem, quam diligit, & palmites ejus omnes in numero habet: ita Pater novit Filium, Johan. 10. v. 15. ac novit, qui sunt sui, 2. Tim. 2. v. 19. 4. ratione culturæ & operationis. Sicut agricola longè majore studio colit vites quam alias arbores: ita quoque Pater cœlestis vineam suam, hoc est, Ecclesiam & palmites viti in ea infitos, id est, verè in Christum credentes, magis curat quam alios homines, qui sunt extra Ecclesiam. Quicquid curæ & culturæ agricola impendit vineæ, illud omne Pater cœlestis vineæ spirituali, id est, Ecclesie, impendit, ut docent, & Esaias cap. 5. & Christus Matth. 21. Plantavit & elapidavit eam, sepem ei circumdedit, torcular in ea fodit, turrim ædificavit, agricolis eam locavit, neq; quidquam eorum pratermisit, quæ ad vineæ fructificationem requiruntur, sicut hæc omnia latè fuere exposita in c. 152. Harmon. Sicut agricola curam vineæ nunquam ex animo deponit, quamvis tempore hyemis ab ejus cultura videatur vacare: Sic Deus Ecclesie & piorum curam nunquam deponit, quamvis tempore adversitatis eorum videatur quasi oblitus. Quicquid curæ & culturæ vineæ ab agricola impenditur, illud omne in vineæ commodum cedit: ita quicquid beneficiorum Pater cœlestis in Ecclesiam confert; illud omne eò spectat, ut salutare fructus proferat. Augustin. sermon. 59. de Verb. Domin. secundum Johan. *Colimus Deum, & Deus colit nos. Sed nos sic Deum colimus, ut non eum meliorem faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando: illo autem colit nos tanquam agricola agrum. Quod ergo nos ille colit, meliores nos reddit, quia & agricola agrum colendo facit meliorem, & ipsum fructum in nobis quaerit, ut eum colamus. Cultura ipsius est in nos, quod non cessat Verbo suo exstirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina preceptorum, expectare fructum pietatis. Ubi tamen notandum, quod inter culturam agricolæ terreni & cœlestis sit magnum discrimen. Agricola terrenus exteriore duntaxat culturam vineæ impendit, incrementum culturæ dare nequit: idèò de ipso rectè usurpatur illud Apostolicum, 1. Cor. 3. 7. *Neq; qui plantat, neq; qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.* Cœlestis verò agricola ita colit Ecclesie vineam, ut culturæ suæ incrementum addat. August. tract. 80. in Joh. *Non est talis agricola, quales sunt, qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis, ut det etiam intrinsecus incrementum.* 5. ratione certæ inter operas distributionis. Quemadmodum agricola operas, quas vineæ impendit, certâ ratione distribuit, neque enim per totum annum fodit, nec semper vites circumcidit, neq; continenter fructus poscit, sed isthæc omnia statuto tempore facit: sic Deus non eodem modo cum vinea sua semper agit, sed quandoque beneficia, quandoque adversa ei immittit. 6. ratione fecundationis. Quemadmodum vinitor vites illas, à quibus fructum expectat, fecundat & stercoreat: sic Pater cœlestis rore gratiæ & calore Spiritus sancti Ecclesie vineam fecundat. Quinimò ut vitis propriis sarmentorum suorum cineribus pin-*

pinguefcit: sic Ecclesia Martyrum sanguine rigatur & facundatur. 7. *ratione conſervationis & deſenſionis.* Ut agricola vineam, ita Deus Eccleſiam ſuam tue- tur. 8. *ratione conditionis,* quia cœleſtis Pater eſt ſimilis patriſamilias conducenti operarios in vineam ſuam, Matth. 20. v. 1. &c. Hæc & ſimilia compara- tionis membra Chriſtus intelligenda relinquit, quando Patrem ſuum agricolæ live vinitori confert: duorum verò expreſſam & perſpicuam facit men- tionem, videlicet tùm *amputationis* tùm *putationis*, quorum utrumque ad ſcopum, quem in hac ſimili- tudine ſibi habuit propoſitum, vel maximè perti- nebat. Comparatur igitur Pater cœleſtis agricolæ. 9. *ratione amputationis.* Quemadmodum ad cultu- ram vineæ non ſufficit, vites plantari & in palmitibus ſefe extendere: ſed requiritur inſuper, ut vinitor in- fructuoſos palmites, unà cum fructuoſis è vite e- rumpentibus amputet, ne fructuoſis moleſti ſint, eos- que in producendis fructibus impediunt: ita quoque cœleſtis agricolæ otioſos & infrugiferos hypocritas bonis in Eccleſia ſefe immiſcentes tollit, quâ de re Chriſtus ſic loquitur: *Omnem palmitem in me non ſerentem fructum tollit.* Quidam ſtatuant in his ver- bis contineri *primum exhortationis argumentum*, quo Chriſtus diſcipulos ad perfeverantiam in fide excitare voluerit, ductum à *conſequenti noxiâ*, videlicet quod agricolæ cœleſtis palmitem ἀκαρπον extra ſocietatem Eccleſiæ & ſanctorum ſit rejecturus. Sed quia in verſ. 6. demum argumentum illud proponitur, atque exhortationi ex hac compara- tione deductæ ſubjungitur: ideo rectiùs dicitur, Chriſtum adhuc in comparatione verſari, ac ratio- nem exponere, quare Patrem ſuum agricolam nomi- naverit, videlicet quia eodem modo tractat in- frugiferos hypocritas, quo vinitor infrugiferos pal- mites. Continetur ergo in his verbis ἐν δὲ τοῖς *ſecundi comparationis membri.* Quâ ratione & propter quas cauſas Chriſtus ſefe viti comparaverit, illud tum ex præcedentibus verbis, in quibus beneficia ſua expoſuerat, erat ex parte notum, tum ex ſequentibus exhortationis ex hac comparatione deducendæ verbis futurum erat illuſtrius; ideo cauſas exponit, quare Patrem ſuum agricolæ comparaverit, nec tamen omnes, ſed duas duntaxat ſcopo maximè in- ſervientes. Quidam ſecuti Cyrillum lib. 10. c. 24. ſuſpicantur, hoc membrum Judæis duntaxat eſſe oppoſitum, quibus Chriſtus voluerit comminari, quod velut otioſi & infrugiferi palmites ex vinea Eccleſiæ ſint rejiciendi, ac omnem Dei favorem, Scripturæ intelligentiam & ſpiritualia beneficia amiſſuri. Sed rectiùs accipitur in genere de omnib⁹ impiis & hypocritis externæ Eccleſiæ ſocietati im- mixtis ſive ex Judæis ſive ex Gentibus in regnum gratiæ ſint vocati, utitur enim Chriſtus generali nomine πάντων κλήμα. Interim haud abſurdè cogita- tur, Chriſtum ad proditorem Judam, qui ſpontaneâ apoſtaſiã ſefe à vite ſpirituali ſeparaverat, & ex con- ſortio Chriſti & Apoſtolorum ad Pontifices & Phariſæos abierat, digitem hic intendere, cum ipſe fuerit exemplar ac typus omnium hypocritarum & apoſtatarum. Quemadmodum enim Pater cœleſtis hunc infrugiferum palmitem amputaverat: ita quoque Chriſtus minatur idem obventurum omni- bus, qui apoſtata hujus veſtigii inſistere voluerint. Vulgata verſio reddidit in futuro, *palmitem in me non ſerentem fructum, tollit eum:* ſed Græci Codices conſtan-

ter legunt αὐτῶν in præſenti, ſicut etiam in membro poſteriore καθεὶς in præſenti ponitur, ac in verſ. 6. qui eſt hujus prioris membri quali ἐξήγηſis, itidem habentur præſentis temporis verba, Ἐν αὐτῶν ἀντὶ καὶ εἰς τὸν βαλλέται καὶ κείσεται, quorum emphaſin ſuo loco expendemus. Relativum αὐτῶν redundat ex pro- prietate ſermonis Hebræi. Solent enim Hebræi per modum quendam pleonaſini pronomen relativum repetere, Gen. 1. 27. Lev. 14. 6. 2. Sam. 6. 23. Pf. 10. v. 5. &c. cujus idiotiſmi exempla etiam in N. T. oc- currunt, Matth. 12. 36. cap. 21. 41. Joh. 17. 2. Ro- man. 16. 27. Apoc. 2. 13. Quinam verò ſunt palmitibus non ſerentes in Chriſto fructum? Theophil. Alexand. lib. 4. allegor. Sarmenta, quæ fructum non ferunt, dicit eſſe *hereticos*; quæ fructum ferunt, *Catholicos.* Sed quia non ſolum pertinaces heretici, ſed etiam otioſi hypocritæ externâ ſocietate Eccleſiæ conjuncti ſunt infrugiferi palmites, & quia multi Catholici, id eſt, veræ fidei profeſſione Eccleſiæ conjuncti non ferunt fructum, ideo pleniùs reſpondendum, per palmites non ſerentes in Chriſto fructum intelligi eos, qui externâ ſocietate Eccleſiæ ſunt conjuncti, eandem cum piis fidem proſitentur, iisdem Sacramentis utuntur, interim tamen non agunt veram pœnitentiam, nec habent veram in Chriſtum fidem, nec per caritatem & bona opera fidem ſuam teſtantur. De illis, qui ſunt extra Eccleſiam viſibilem, & in ſupina Chriſti ac myſteriorum divinorum ignorantia verſantur, Chriſtus hoc loco non agit, ſicut etiam in parabola de decem virginibus, ac de talentis, uti etiam in deſcriptione judicarii proceſſus de illis minimè egerat, quia ſermo ipſi erat cum illis, qui erant palmites, quos hortatur, ut frugiferi palmites maneant, nec in ſarmenta inutelia degenerent, quibus amputationis & abſciſſionis periculum immineat. Pontificii ex hoc loco colligunt, *veram fidem poſſe à bonis operibus ſeparari.* Cum enim nemo ſit in Chriſto tanquam palme in vite niſi per fidem, & verò inter eos, qui ſunt in Chriſto tanquam palmites quidam non ferant fructum, ex eo immotè colligi poſſe arbitrantur, quod quidam verè à fide præditi ſint, qui tamen fru- ctus bonorum operum minimè proferant, ac proinde Chriſtum diſcipulos ſuos hortari, ut non contenti ſolâ fide bonorum operum fructum ferant. Poſſemus reſpondere πρὸς δι- οκλήμον ἐν ἐπιτοῖς pertinere non ad præcedens πᾶν κλήμα, ſed ad ſequens μὴ φέρον, ut ſit ſenſus, non quod in Chriſto vera illa vite ſint palmites quidam infrugiferi, ſed quod quidam non ſint in Chriſto, ac proinde etiam non ferant fructus Deo gratos, qui ſint tollendi, & in ignem æternum abjiciendi. Poſſet huic expoſitioni accommodari Syriaca verſio, quæ ſic habet: *Omnem palmitem* ܡܝܬܝܢ, qui in me non fert fructum. Sed quia in prædicato per verbum αὐτῶν infrugiferis ejusmodi palmitibus Chriſtus minatur, quod ſint tollendi ſcilicet ex ſe vite, ex eo intelligitur, de ejus- modi palmitibus ſermonem eſſe, qui per fidem in Chriſto priùs fuerunt. Præterea non poſſunt ſatis commodè palmitibus conferri, qui nullâ planè ratione ſunt in vite ac vinea, undè paulò ante monuimus, Chriſtum hic non agere de illis, qui ſunt extra Eccleſiam vocatorum. Reſpondemus igitur, Chriſtum per palmites in ſe non ferentes fructus intelligere primò *apoſtatas*, qui primùm quidem verè & vivâ fide Chriſto fuere inſiti, ſed poſtea vel in fundamentales fidei errores prolabantur, eosque pertinaciter defendunt, vel in peccata

contra conscientiam sponte sese præcipitant, inque illis sine pœnitentia perseverant, sicque non ferunt fructum, quem ferre potuissent, si in Christo vite constanti fide mansissent. Hisce apostatis verba Christi opposita esse, satis manifestè colligitur ex subjecta exhortatione: *Manete in me*, v. 4. quod verbum *μὲν*, undecies in hac pericope repetitur. Cum primis verò ex v. 6. qui horum verborum est *ἐγγυησις*, illud satis luculentè colligitur. Quod enim Christus hoc loco dicit, *omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum*: illud in v. 6. sic explicat: *Si quis in me non manserit, missus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem mittunt, & ardet*. Sicut ibi prædicatum *αἰσθη* latius exponitur per quinque distincta verba, *ἐκλήθη ἔξω, ἐξηραίνθη, ὑναγίσθη αὐτὰ, εἰς πῦρ βάλλεται, καίεται*: ita quoque subjectum *κλήμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρων καρπὸν*, ibidem exponitur hoc modo: *Si quis non manserit in me*. Idipsum etiam probatur ex v. 5. ibi enim Christus disertè dicit: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*; Ergo omnis, qui est & manet in Christo, ille fert fructum. Proinde quando hoc loco dicit, *palmitem in me non ferentem fructum*, illud necessariò ex sequentibus sic explicandum: *Omnem palmitem, qui non manet in me, ut fructum ferat, tollit eum*. Secundò hypocritas, qui propterea dicuntur esse in Christo, primò, quia sunt in externa visibilis Ecclesiæ societate, per baptismum Sacramentaliter Christum induerunt, Gal. 3. v. 27. in sacra cœna corpore & sanguine Christi Sacramentaliter cibantur ac potantur, eandem cum aliis fidem ore profitentur &c. quamvis interim non sint vera & viva corporis Christi mystici membra. Augustinus lib. 5. de Baptismo contra Donatistas c. 24. *Induunt homines Christum aliquando usq. ad perceptionem Sacramenti, aliquando usq. ad vite sanctificationem. Primum commune esse potest bonis & malis, alterum proprium est piorum*. Secundò, quia & sua, & aliorum opinione Christo videntur esse insiti, quamvis interim ratione interioris & veræ communionis non sint ipsi insiti, cum destituantur verà illà & vivà fide, quæ spiritualiter & interiorius nos Christo inserit, & vitæ spiritualis succum ex ipso trahit, eundemque per fructus bonorum operum exerit, Galat. 5. v. 6. Talis ergo est illorum hypocritarum conditio, qualis furculorum recens alicui arbori insitorum, eidemque exterius adhaerentium, qui tamen interiorius cum ea nondum coaluerunt, nec vim vitalem & efficaciam proferendi fructum ex ea hauriunt. Ut enim illi videntur arbori coaluisse, revera tamen quoad interiorem communionem nondum coaluerunt: ita hypocritæ propter externam fidei professionem, & externam cum visibili Ecclesiâ societatem, videntur Christo insiti, in ipsum credere & cum ipso coaluisse, revera tamen ei insiti non sunt, nec in ipsum credunt, nec cum ipso coaluerunt. Quemadmodum impii & hypocritæ deleri dicuntur *de libro vite*, Psalm. 69. v. 29. Apocal. 22. v. 19. qui tamen revera nunquam fuere in libro vitæ scripti, quia tum ratione externæ in Ecclesiâ conversationis, tum ratione propriæ persuasionis in eo scripti quodammodo dici possunt: ita quoque iidem palmites in Christo dicuntur, quia & aliis & sibi ipsis tales esse videntur. Augustinus in enarr. Psalm. 69. *Isti quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? hoc dictum est, secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est deleantur de*

*libro vite? & ipsis constat non illos ibi esse &c. nam verius, qui sequitur, exponit, quod dictum est, & cum iustis non scribantur. Proinde quod Pontifici dicunt, Christum discipulos hic hortari, ut non contenti sola fide bonorum operum fructum ferant, ac quosdam fide præditos esse, qui tamen fructus bonorum operum minime proferant, illud si de nuda fidei professione & gloriatione vel de fide historica, quæ sola notitiâ & assensu definitur, accipiatur, rectè dicitur; sed si de fide vera & viva, quæ per fiducialem meriti CHRISTI apprehensionem definitur, accipiatur, falsò dicitur, ea enim per dilectionem efficacis est, Galat. 5. vers. 6. ac tam non potest à bonis operibus separari, quàm à Sole radii, à corpore umbra, id quod suo loco evidentibus argumentis confirmatur. Per τὸ αἰσθη in prædicato 1. quidam intelligunt punire, puniuntur enim quodammodo sarmenta, quando ex vite tolluntur & amputantur. 2. Euthymius dicit, tollere, nihil aliud esse, quàm ad ignem æternum destinare. 3. Quidam tollere dicunt idem esse, quod fidem in Christum ipsis auferre. Si enim credendo in Christum in illo nascimur, desinendo credere ab illo abscindimur. 4. Aliis placet, tollere esse idem, quod à Christo sejungere, ut nihil amplius cum eo commune habeant. 5. Quidam volunt, tollere esse idem, quod humorem gratiæ & succum vitalem ipsis auferre. Cyrillus lib. 10. cap. 24. auferitur ab illis humor, id est, Spiritus Domini, antequam igni tradantur. 6. Quibusdam videtur, separationem à congregatione sanctorum hoc verbo denotari. Sed Christus non reliquit in dubio vel incerto positum, quid per τὸ αἰσθη hic voluerit intellectum, explicationem enim ipsemet subiungit, v. 6. *Si quis non manserit, ejectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardet*, ubi per quinque distincta membra illud *αἰσθη* deducit, per quæ quid intelligendum sit, inferius expeditum dabitur. Colligitur autem ex his verbis: 1. Sicut nulla datur vitis, quæ non habet quosdam infrugiferos palmites: ita quoque nulla datur in his terris visibilis Ecclesiâ, quæ non habeat quosdam hypocritas, ac proinde ab Anabaptistis, Photinianis & Weigelianis frustra requiritur Ecclesiâ omnibus modis pura. 2. Ergo ut vitis habeat palmites quosdam pampinarios, quosdam fructuarios: sic in Ecclesiâ quidam sunt hypocritæ verbis luxuriantes, sed veræ pietatis fructu vacui: quidam sunt verè pii fertiles in bonis operibus. 3. Quemadmodum pampinarij & infrugiferi palmites fructuariis sunt molesti & noxii, quia in producendis fructibus eos impediunt: ita quoq; hypocritæ & impii pii in hac vita sunt molesti, eosq; in studio bonorum operum impedire conantur. Pampinarios palmites Columella lib. 5. vocat *flagella*: sic hypocritæ & impii in hac vita sunt piorum flagella. 4. Quemadmodum proinde requiritur ad fructuariorum palmitum feliciorum proventû, ut pampinarij abscindantur: ita quoq; hypocritæ ab Ecclesiâ & piorum consortio iusto Dei iudicio abscinduntur. 5. Ecclesiâ per excommunicationem infrugiferos palmites deberet quidem tollere, sed quia pro veris palmitibus sese gerunt, atque aspectu externo ab illis distingui nequeunt, ideo Deus ipse separationem atque abscissionem instituit. 6. Ipse enim non vult habere sylvam foliis duntaxat luxuriantem: sed vineam suavissimos fructus proferentem, nec hoc qua-*

quærit, ut multos vinea habeat palmites, sed ut habeat frugiferos. Non dicit, *omnem palmitem* in me non virentem, vel folia non habentem, sed *non ferentem fructum*, tollit eum. Ergo non sufficit, ut Christianus foliis verborum vireat, sed requiritur etiam, ut fructus afferat. 7. Proinde etiam non tantum *spinas & vepres*, id est, Gentiles & manifestos peccatores, sed etiam *otiosos & infrugiferos palmites*, id est, hypocritas de fide falso gloriantes, ac bonorum operum fructibus destitutos tollit, Luc. 13. v. 7. 8. Id quod meritò non solum otiosis hypocritis, sed etiã omnibus impiis terrorem incutere debet. Si enim ob solam sterilitatem in frugiferis palmitibus excidium denunciatur, quanto magis illis, qui *uvarum loco ferunt labriscas*? Et 5, 2. hoc est, qui in malis operibus securè pergunt. Agricola non ideò colit vitem, ut non proferat fructus amaros, sed ut dulces fructus proferat: ita cœlestis agricola non hoc tantum quærit, ut à malis operibus caveamus, sed etiam ut bona opera faciamus. 9. Ac probè notandum, quod Christus in genere dicat, *omnem palmitem non ferentem fructum esse tollendum*. Ergo nullus hypocrita cœlestis hujus vinitoris oculis ac falcem effugere poterit. 10. Quod si *privativum* illud malum, videlicet *tollit*, & è vite excindi gravissimæ pœnæ loco à Christo habetur, cuius comminatione hypocritis terrorem vult incutere, quãtò magis *positivum* illud malum, quod inferitur in v. 6. additur, videlicet quod inutilia sarmenta in ignem sint abijcienda, gravissimæ pœnæ loco habendum, cuius comminatione otiosi hypocritæ ex veterino excitari omninò debent. A gratiâ Dei, à spiritali communione Christi in hac vita & à consortio gloriæ & beatificæ Christi communione exclusum esse, satis pœnæ est, si vel maximè nulla alia hypocritis esset metuenda. 11. Sollicitè igitur expendamus, quo sine per baptismum Christo insiti simus, videlicet ut simus palmites frugiferi, quæ sit natura veræ fidei, per quam Christo inserimur, videlicet, quod per fructus bonorum operum sese exerat, quid metuendum in frugiferis palmitibus, videlicet quod à viti sint excindendi & abijciendi.

Denique 10. comparatur Pater cœlestis agricolæ ratione putationis, quã de Christus porrò sic loquitur: *Et omnem (palmitem) qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosorem afferat*. Duo potissimum circa palmites vinitoris sunt officia, qui enim prorsus inutiles sunt, ac de quibus nulla fructificationis spes est, illos ad radicem penitus refecat atque amputat: qui verò utiles sunt, illos non ad radicem abscindit, sed purgat, hoc est, extremitates eorum refecat, ut plus roboris acquirant, & ad fructificationem magis idonei reddantur. Eodem modo cœlestis agricola cum palmitibus in vinea Ecclesiæ agit, infrugiferos *apes*, fertiles verò *καθαίρει*, inter quæ est elegantissima paranomasia, quam Latini exprimere vix possunt, nisi quis prius per *amputationem* & excisionem, posterius per *putationem* & præcisionem utenq; exprimat. Vulgata versio reddidit in futuro, *purgabit eum*: sed Græci Codices constanter legunt in præsentem *καθαίρει*, quod est emphaticum, significatur enim continua quasi actio & functio cœlestis agricolæ absque temporis præteriti vel futuri notatione. Quidam statuunt, in his verbis *alterum exhortationis argumentum* proponi, quod sit desumptum à *sine putationis*. Sicut vinitor palmites ideò putat, secat ac purgat, ut copiosorem fructum postmodum afferant:

*Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars tert.*

ita Pater cœlestis vobis Apostolis ac reliquis in me credentibus crucem immittit, ut in bonis operibus magis fertiles reddamini, ac per consequentia non debetis cruce & adversitatibus deterreri, quò minus vera & firma fide in me maneatis. Sed quia hoc argumentum in v. 4 & 5. demum propositioni exhortatoriæ subjungitur: ideo rectius dicitur, Christum adhuc versari in explicando altero comparationis membro, quare Patrem suum cœlestem vocaverit *agricolam*, videlicet quia non solum infrugiferos palmites penitus amputat, sed etiam fructuarios putat, & putando expurgat, ut copiosorem fructum ferant. De hac palmitum putatione notandū x. quod palmitibus maximè sit necessaria, quippe absque qua non possent ferre fructum, aliàs in nimiam altitudinem excreverent, omnem humorem & succum à vite acceptum in ramos & folia infumerent, nec ullum agricolæ gratum & ab eo speratum fructum ferrent, ob quam putationis necessitatem palmes Hebræis ab *incidendo* & *refecando*, *כרת* dictus est, Num. 13, 24. Ezech. 15. 2. &c. 2. quod putatio illa non semel tantum fiat, sed aliquoties repetatur. Quamvis enim Veris potissimum tempore putatio suscipiatur, quod proinde etiam *tempus putationis* dicitur, Cant. 2. v. 12. tamen quando palmites semel putati, vel stolonibus vel pampinis nimium luxuriari incipiunt, denuò requiritur putatio. 3. Quod putatio illa fiat acutâ falce, ita ut lachrymas palmites emittant. 4. Quod fiat ipsorum palmitum bono, videlicet ut inutili & noxio pondere liberati copiosorem fructum afferant. Hæc omnia ad spiritualem frugiferorum palmitum in vinea Ecclesiæ putationem accommodari possunt, uti manifestum erit, ubi prius, quid in *ἀποδοσὶ* similitudinis per *putationem* intelligendum sit, exposuerimus. Chrysostomus homil. 75. in Joh. τὸ καθαίρειν sic explicat: πολλὰς ἐπιμελείας ἀποδοσὶ ποιῶν &c. Discipuli multâ præceptoris curâ indigent, etiamsi studiosi sint, ideo inquit: *Omnem qui fert fructum, purgabit eum*. Hoc autem etiam adversus afflictiones tunc ipsis imminentes dictum esse, quispiam dicere possit. Nam purgare palmitem, incidere est, ut fecundiores faciat, unde ostendit tentationibus effici fortiores. Cyrill. l. 10. c. 24. accipit de spirituali circumcissione: *Qui quam maximè possunt (inquit) virtuti student, eis per Spiritus gratiam quasi per falcem modò voluptates, modò alias turbationes animi, quibus mens à statu suo dejicitur, Deus incidens est, atq; amputans*. Hæc est illa non manu, sed Spiritu intellecta circumcissio. Et postea: *Purgatoria est tribulatio, quæ per superiorem disciplinam beatos homines efficit*. August. tract. 80. in Joh. de reliquiarum peccati in renatis expurgatione: *Quis est (inquit) in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisq; mundandus? ubi si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c.* Possunt hæc interpretationes simul conjungi. Purgat cœlestis agricola fructuosos palmites, 1. reliquias peccati in carne renatorum adhuc hærentes non imputando, sed propter Christum paternè condonando. 2. Vitiosos & carnales affectus in illis mortificando, ne in externos malorum operum fructus prorumpant. 3. Per tentationes, crucem & adversitates ipsos humiliando. 4. Majore gratia ipsos quotidie cumulando, & hac assidua cultura juvando, ut copiosorem fructum ferant. 5. Quin & justo iudicio propter antegressa peccata interdum permittendo, ut in graviorem aliquem lapsum incidant, ut

Aa a a a 4 super-



superbia, quæ ex ipsis virtutibus orta bonorum operum fructus maximopere vitiat atque impedit, in illis deprimatur. Ergo purgatio fit per Spiritum sanctum, per falce[m] Legis, per Verbum Evangelii, per fidem corda purificantem, Act. 15. 9. per tentationem, per crucem & afflictiones, imò & per ipsa peccata. Quemadmodum enim videmus stercore licet in se turpi & foetido asperfos palmites pingue fieri & fecundari, & ex variis herbis & pharmacis Medicos & Pharmacopæos optima adversus plerosque morbos conficere remedia, quæ per se alioqui essent mortifera: sic per admirandam & misericordem Dei sapientiam fit, ut peccata piorum, quæ suâ naturâ sunt mortifera ex accidente fiant illis salutaria, cum ex illorum magnitudine, & atrocitate in vera pœnitentia agnita sub potentis Dei manu sese magis humiliare, & in illis coram Deo sibi displicere discant, ejus se gratiâ & misericordiâ, quâ illa tegantur & condonentur, indigere agnoscentes. Anselmus lib. de mensurat. crucis: *Bonitas tua, ô Deus, malis nostris bene uti novit sepe faciens defectus nostros ad argumentum humilitatis prodesse, ut verum sit, quod scriptum est in die cadit justus, & fortior resurgit.* Savanorola in Pl. 3. 1. *Nonne scribit Apostolus, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum? & ad eò omnia, ut etiam ipsum peccatum eis cooperetur in bonum. Nonne eis ille casus cooperatur in bonum, unde & humiliores efficiuntur & cautiore.* Lutherus in cap. 20. Gen. *Non solum mala passiva, quæ nobis irrogantur, in bonum cedunt; sed etiam mala activa, quæ nos ipsi facimus: ubi tamen probè notandum, salutarem hunc effectum, vel potius eventum non tribuendum esse ipsis peccatis, quippe quæ per se & suâ naturâ damnationem promerentur, sed divinæ benignitati, sapientiæ & misericordiæ; nec Deum ad peccata homines impellere, ut ex illis bonum eliciat; sed justo judicio permittere, ut suâ negligentia & culpâ spontaneâ in ea incidant. Cum primis verò de illa καθάρα, quæ fit interior per quotidianam renovationem & carnis mortificationem, exterior per crucem & afflictionem, Christus hoc loco agit, quia munit discipulos adversus instantes calamitates & persecutiones. Ad eam igitur accommodabimus, quæ de putatione palmitum naturalium superius diximus: 1. Ut palmitibus necessaria est puratio: ita quoque renatis quotidiana renovatio & carnis mortificatio. Naturâ post lapsum sumus mali palmites ex vitiosa vite, id est, Adamo progeniti, & in optimam vitem Christum contra naturam insiti; ex prima illa nativitate super sunt in nobis carnis & peccati reliquiæ; propter quas quotidianâ purgatione & renovatione indigemus. Sed & calamitates in hac vita piis ferè sunt necessariae, cum caro beneficiis saginata & cruce non purata incipiat contra Deum lascivire & luxuriari, unde cum ægrotus quidam à Macario peteret à morbo liberari, responsum ejusmodi tulit, rem tibi necessariam auferri cupis. Ad fructificationem palmitum plura quidem requiruntur, quàm putatio, opus enim est fossione, stercoreatione, aquatione, alligatione &c. sed horum Christus non facit expressam mentionem, sed solius putationis, tum ut ejus necessitatem ostendat, tum quia spiritualis vitis, cui per fidem pii sunt insiti, abundans est & succi plena, ut palmitibus nihil quicquam ad fructificationem desit, modo in vite maneat, seque putari & purgari sustineant. 2. Sicut putatio & purga-*

tio palmitum sæpius repetitur: sic Deus per Verbum & Spiritum sanctum quotidianum in renatis operatur renovationis incrementum, nec semel tantum, sed aliquoties immittit crucem, amputat & aufert, de quo homo gloriabatur, & cui cordis fiducia adhærebat, ut in solo Deo confidere discat, subducit consolationes rerum, ut homo quærat consolationes Scripturarum. 3. Sicut palmites ad lachrymas usque secantur: sic purgatio per crucem carni est molesta, Hebr. 12. vers. 11. ac lachrymas ex oculis nostris sæpius exprimit. Circumcisio carnalis non fiebat absque dolore: sic nec circumcisio spiritualis fit absque dolore & lachrymis. 4. Sicut putatio fit palmitum bono, ita quoque purgatio per crucem palmitibus frugiferis est salutaria. *Castigationes Dei sunt emendatoriae, non intersectoriae,* inquit Augustinus libr. 3. de libro arbitrio capite 25. Hunc salutarem purgationis fructum Christus ipse disertis verbis exprimit, quando dicit, *palmitem ferentem fructum purgari, ἵνα ᾀσθονα καρπὸν φέρῃ.* Ut enim per crucem in piis caro cum suis concupiscentiis mortificatur: ita fructus Spiritus majus accipiunt incrementum; & accenditur per eam in illis major lux divinæ cognitionis, crescit fides, invocatio, humilitas, patientia & omnia pietatis exercitia. At, inquis, quidam palmites putati & purgati postmodum sæpe degenerant, & nullum ferunt fructum, id est, multi cum bene agere cœperint, à studio pietatis deficiunt, purgationem crucis respuunt, relabuntur in priores sordes, & omnem humorem gratiæ amittunt, quomodo ergò sibi constat illud, quod Christus dicit: *omnem palmitem, qui fert fructum, Pater meus purgat, ut fructum copiosorem afferat?* Quidam respondent, *Christum hic tantum de electis loqui, quibus solis crucis purgatio est salutaria;* alii respondent, *particulam universalem accipiendam de generibus singulorum, non de singulis generum:* sed simpliciter respondeatur, Christum hic loqui non de eventu accidentario, qui ob hominum culpam ex cruce & calamitatibus quandoque oritur, sed de salutari fine, quem in purgatione sive crucis immisione cœlestis agricola intendit. *Ad hoc enim corripit, ut emendet; ad hoc emendat, ut servet,* inquit Cyprianus lib. 4. Epist. 4. quod alius eventus quandoque sequitur, ex accidenti est, nec tollit finem à Patre cœlesti in crucis immisione intentum. Salmeron ex his verbis cooperationem liberi arbitrii contra nos probare conatur. *Habemus, inquit, ex hoc loco, quod liberum arbitrium gratiæ Dei cooperatur. Etsi enim succus, qui est in palmitibus, ex vite fit, & in palmitibus perveniat, illo tamen palmetes fructificat: ad eundem modum gratia Christi est, quæ justis communicatur, illâ tamen fidelis quisque ac justus fructum profert, ut dicere valeat cum Apostolo, 1. Corinth. 15. vers. 10. abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Sed argumentum hoc non attingit quæstionem statum. Quando enim negamus, liberum arbitrium gratiæ cooperari, tunc agimus de hominibus nondum conversis, quomodo illi in actu conversionis ad gratiam sese habeant: non autem de hominibus jam conversis & renatis, quos divinæ gratiæ per novas à SPIRITU SANCTO donatas vires *ὁυεργεῖν* haud invita conce-

concedimus. Optima igitur ratione argumentum Salmeronis invertimus. Quemadmodum palmes non potest seipsum viti inferere, vel purgare, vel fructificandi vim conciliare, sed agricola palmitum enim inferit & purgat, vitis succum vitalem & vim fructificandi ipsi suppeditat: sic homines non possunt se naturalibus liberi arbitrii viribus Christo inferere ac regenerare, nec possunt se ipsos ad producendos bonorum operum fructus fertiles reddere: sed Pater cœlestis per fidem eos Christo inferit & purgat; Christus humorem gratiæ & vim spirituales fructus producendi ipsis suppeditat; Spiritus sanctus ad regenerationem ac renovationem in illis efficax est &c. quicquid ergo boni habent, quicquid boni agunt, illud omne cœlesti agricolæ, Deo Patri, cœlesti viti, Christo, cœlesti dono, Spiritui sancto unice debent. Rectius verò ex his verbis colligitur: 1. Culturam, quàm cœlestis agricola in vineam Ecclesiæ tum immediatè, tum mediatè per operarios in eam conductos, Matth. 20, 1. impendit, non esse frustraneam, cum præter palmites infrugiferos etiam dentur fructuosi. 2. Tales fructuosos palmites esse eos, qui verà & vivà fide Christo insiti bonorum operum fructus proferunt, quos Apostolus vocat *fructus Spiritus*, Galat. 5, 22. & *fructus lucis*, Ephes. 5, 9. 3. Etiam fructuosos palmites propter reliquias peccati in carne adhuc hærentes indigere putatione & purgatione, quinimò fructuosos majore ferè curâ & culturâ indigere, quàm infrugiferos. Hi enim faciliè amputantur, sed illi quotidie purgandi & putandi sunt, ne nimium luxuriarent, & in palmites infrugiferos degenerent. Hoc ipsum consolationi esse potest illis, qui se imperfectos esse, & purgatione adhuc indigere sentiunt, quod sciant, se propter imfectionem non esse à Patre cœlesti abjiciendos. 4. Non aliquos solum, sed omnes palmites fructuosos purgatione indigere, cum nullus sanctorum in hac vita à peccato & carnis reliquiis penitus sit immunis, 1. Reg. 8, 46. 2. Paral. 6, 36. Prov. 20, 9. 1. Joh. 1, 8. &c. 5. Palmitibus naturalibus duplex impuritas accidit, propter quam purgatione indigent. Una est exterior, quæ ab externa quadam contagione vel læsione originem trahit; altera interior, quæ ex ipso palmite provenit, ut nimia pampinorâ luxuria &c. sic spiritualibus palmitibus itidem duplex impuritas adhæret, una ex seductionibus mundi, altera ex suggestionibus corruptæ carnis oritur, propter utramque purgatione adhuc indigemus. 6. Purgationem illam fructuosorum palmitum non tantum per Verbum & Spiritum sanctum, sed etiam per crucem & adversitates peragi. 7. Proinde crucem tanquam *καθαρισμὸν* quandam *Φαρουακίου* reliquias peccati expurgantem patienter esse tolerandam. 8. Finem quippe, propter quem adversa divinitus immittuntur, esse eum, ut cruce purgati copiosorem afferamus fructum. Ut finis cauterii est corporis sanatio, ita purgationis per crucem finis est uberior fructificatio. Justinus q. 123. p. 367. *Per divinam providentiam rebus adversis & afflictionibus tanquàm medicinâ quadam à destinata malitia sua liberatus homo sanior redditur.* Idem in Dial. cum Tryph. p. 264. *Quando magis in nos (Christianos) expediuntur tormenta, tanto alii plures fideles & vere religionis per nomen Jesu sunt cultores. Quemadmodum enim, si quis vitis excidat fructificantes partes ut palmites, qui alios floridi & frugiferi protrudant ramos, illa proferat, facit: ita in nobis quoque accidit.*

9. Proinde magnum esse discrimen inter palmitum infrugiferos amputationem, & fructuosorum amputationem. Illa est peremptoria, hæc emendatoria. Cyrillus lib. 10. in Johan. cap. 24. *Nec multitudo ipsa sanctorum hanc castigationem renuit, imò potius optat, dicens: Castiga nos, Domine, in judicio tamen, non in futuro. Namque, decisio infructuosorum palmitum in furore fit, in judicio autem, id est, in consideratione atq; mensura fructuosi palmites depurgantur.* 10. Deniq; purgationem per crucem esse omnibus palmitibus communem, Heb. 12, 6. 1. Petr. 5, 9. Proinde non debere nos peculiarem sortem expetere, sed communem omnibus sanctis prompto animo subire, Matt. 11, 28.

In tertio similitudinis membro Christus discipulos suos & omnes credentes comparat palmitibus. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quidam existimant, contineri in his verbis tertium exhortationis argumentum, petiitum ex salutari Verbi fructu. Qui Verbo audito ac fide recepto mundati sunt, illi debent in fide & spirituali munditie perseverare, ac diligenter cavere, ne defectione à fide iterum sordidentur. Vos, discipuli mei, Verbo audito ac fide recepto estis mundati. Ergo. Quidam volunt, in his verbis contineri assumptionem prioris argumenti. Qui sunt palmites à Patre cœlesti mundati, illi debent in vite permanere, ut copiosorem ferant fructum. Vos discipuli mei estis palmites à Patre cœlesti mundati. Ergo. Sed quia comparatio nondum est omnibus membris absoluta, idèò rectius dicitur, in his verbis proponi tertium comparationis membrum. Ut enim Christus in versu 1. se ipsum viti, & Patrem cœlestem agricolæ comparaverat: ita in hoc versu 3. Apostolos comparat palmitibus, sicut in versu 5. disertam explicationem addit: *Ego sum vitis, vos palmites.* Non autem simpliciter dicit, vos estis palmites: sed, *jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* 1. Quia in præcedente versiculo purgationis mentionem fecerat, idèò ad consolationem discipulorum addit, ipsos esse jam purgatos & mundos palmites, ut sic nomen *καθαροί* respondeat verbo *καθαίρετε*. 2. In præcedente versiculo generaliter fuerat locutus: *Omnes palmitem ferentem fructum Pater meus purgabit, ut copiosorem fructum afferat.* Hanc doctrinam generaliter propositam in specie accommodat ad discipulos, eosque beneficio Patris cœlestis jamdum purgatos esse docet, ut occasionem habeat, eos exhortandi, ut in se fide firmâ & perseverante maneat, ad quem scopum proposita similitudo præcipuè spectat. 3. Ne ex eo, quod in præcedente versu dixerat, *omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollet eum*, Apostoli terrerentur, quasi præter Judam etiam adhuc alii essent amputandi & excindendi, (piorum enim proprium est, ad verba Dei comminatoria, & ad judicia ejus contremiscere) idèò dicit, ipsos esse mundos, ac proinde fructuosos palmites, quod procul dubio non mediocriter ipsos exhilaravit. 4. Quia dixerat, *omnem palmitem in me ferentem fructum, Pater meus purgabit eum*; idèò jam exponit causam instrumentalem & medium, quo Pater cœlestis in illa purgatione utitur, videlicet, quod per Verbum illud purgandi officium peragat. 5. Quia dixerat, Patrem purgare palmites fructuosos Christo insitos; idèò docet, duplicem esse purgationem, videlicet purgationem primam, quæ est ipsa justificatio in remissione peccatorum consistens, atq;

insitio-

infitionem in Christum, veram illam vitem indivulso nexu conjunctam habens: & purgationem *secundam*, quæ consistit in quotidiana renovatione ac veteris Adami mortificatione, quæ non semel tantum fit, sicut regeneratio & in vitem infitio, sed singulis diebus repetitur, & per totam vitam continuatur. Quemadmodum enim ad palmitis fructificationem duo requiruntur, videlicet infitio in vitē, sive generatio ex vite, & eam sequens putatio, sive purgatio: sic ad spiritualium palmitum fructificationem itidem hæc duo requiruntur, videlicet ut per fidem Christo inseramur, & spiritualiter ex Deo nascamur, Joh. 1, 13. deinde *ut interior noster homo de die in diem renovetur*, 2. Cor. 4, 16. 6. Christus insequentibus exhortatur erat Apostolos ad perseverantiam in fide. Quia verò perseverantia in bono prærequirit ac præsupponit statum præsentem bonum, ideo præsentē discipulorum statum prius describit, antequam ad exhortationem & persuasoria illius argumenta transitum faciat. Expendenda autem sunt singulorum verborum pondera. 1. Non simpliciter dicit, *mundi estis*, sed addit *ἤδη, jam mundi estis*. Pleriq; statuunt, adverbium *jam*, respectum habere ad Joh. 13, 30. ubi dicitur, quod Judas accepta *bugcella à cœnaculo exierit*. Jam sublato ex vestro collegio & consortio in frugifero palmitē Judæ, proditore, mundi estis. Sed addendum, quod Christus ad præsentem Apostolorum statum digitum intendat, ut sit sensus: Audivistis hæcenus Evangelii prædicationem, eiq; fidem adhibuistis, hæc *fide corda vestra sunt purificata*, Act. 15, 7. sed requiritur in super, ut in hac fide perseveretis: Satanæ expetit, vos cribrare, & fidem vobis excutere, ac probè video, quantum defectionis vobis imminet periculum, ergo requiritur summa cautio, *jam mundi estis*: sed brevi futurum, ut fugæ & abnegationis peccato impuremini: Ablui vobis pedes in testimonium & signum spiritualis lotionis, exhibui vobis corporis & sanguinis mei Sacramentum, *jam ergo mundi estis*, videte, ut in illa munditie perseveretis. 2. *Vos*, inquit, mundi estis. *Vos*, dilecti mei Apostoli, amplectentes doctrinam Evangelii vobis à me prædicatam. Syrus vocē *ἡμεῖς*, emphaticè bis repetit: *Vos mundi estis vos*. Quamvis verò peculiariter & in specie alloquatur Apostolos, interim quia prædicatum huic subjecto additum, ad omnes verè credentes pertinet, ut intelligitur ex versu præcedenti, *omnem palmitem, qui fert fructum, Pater meus purgat, &c.* ideo hoc non est accipiendum *exclusivè*, quasi ad solos Apostolos quæ tales pertineat: sed *inclusivè*, quod pertineat ad Apostolos, non quæ Apostolos, sed quæ credentes ac proinde ad omnes verè in Christum credentes. Superius Joh. 13, 10. Christus itidem ad Apostolos dixerat, *vos mundi estis*, sed addiderat quandam limitationem, *ἀλλ' ἐξ ἡμῶν*, nimirum quia Judas in ipsorum consortio adhuc aderat: hic verò absolutè & simpliciter dicit, *vos mundi estis*, quia Judas ex ipsorum consortio abierat. Quemadmodum ergo aurum dicitur *mundum*, quando est à scoria liberatum; granum dicitur *mundum*, quando est à palea purgatum: sic Apostoli dicebantur *mundi*, quando impurus Judas ex ipsorum consortio abierat. 3. Non dicit, *vos estis boni*, sed *estis mundi*, id enim magis conveniebat versiculo præcedenti, in quo dixerat, Patrem cœlestem *purgare*, sive mundare fructuosos palmitēs. Ex eo igitur & poterant & debebant intelligere, Patrē cœlestem purgationis beneficium jamdum ipsi

contulisse, & ex consideratione hujus beneficii excitari debebant ad majus studium in vite perseverandi, & in ea fructificandi. Quid verò per illam *καθάρσιν* intelligendū sit, colligi potest ex versu præcedenti. Quidam statuunt, de alia munditie hic sermonem esse, quàm de qua in præcedenti versu facta fuit mentio, quemadmodum etiam de alia munditie egerat, quando dixerat: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*; ac vicissim de alia, quando subjecerat, *Et vos mundi estis*, Joh. 13, 10. Per purgationem enim in versu præcedenti non agi de purgatione à peccatis, siquidem qui fert fructum, ille jamdum est à peccatis purgatus: sed de gratia divine accessione & augmento, in hoc verò versiculo agi de purgatione à peccatis, quam Apostoli fide fuerant consecuti. Et sanè libenter concedimus in hoc versiculo præcipuè agi de purgatione prima; in præcedenti versu de purgatione secunda, ut paulò antè purgationem distinximus: interim hoc non est accipiendum *exclusivè*, nam & prima purgatio in peccatorum remissione consistens, atque infitio in Christum conjunctam habens, de qua in hoc versiculo præcipuè Christus loquitur, renovationem immediatè conjunctam habet, Tit. 3, 5. ac secunda purgatio in quotidiana renovatione, & veteris Adami mortificatione consistens, de qua in præcedenti versu præcipuè agitur, peccatorum remissionem quotidianam conjunctam habet. Proinde à purgatione, cujus in præcedenti versu mentio fit, non potest excludi remissio peccatorum fide apprehensa, id quod ipsa oppositio docet. Quemadmodum enim amputatio in frugifero palmitis fit fidei abnegatione: ita putatio sive purgatio fructuosi palmitis fit fide peccatorum remissionem apprehendente, & reliquias peccati in carne mortificante. Dicuntur ergo Apostoli *mundi*, non quod omni prorsus peccato carerent, contrarium enim testantur diserta Scripturæ dicta, Exod. 4, 7. 1. Reg. 8, 46. 2. Par. 6, 36. Job. 9, 2. Ps. 19, 13. Ps. 32, 6. Ps. 130, 1. Prov. 20, 9. Eccl. 7, 21. Es. 64, 6. Matth. 6, 12. Jac. 3, v. 2. 1. Joh. 1, 8. ac paulò antè Christus ipse testatus fuerat, ipsos adhuc spirituali pedum lotionē indigere, Joh. 13, 10. sed *mundi* dicuntur tūm propter antegressam ab errore incredulitatis liberationem, & à peccatis mortalibus mundationem; tūm propter peccatorum in carne adhuc hærentium, & infirmitatum residuarum non imputationem, sed refectionem & quotidianam renovationem: tūm propter quotidianam renovationem, & veteris Adami mortificationem. 4. Vos mundi estis *διὰ τὸν λόγον*, propter sermonem. Rupertus per sermonem intelligit Christi passionem, cujus virtute discipuli erant mundati, de qua in præcedentibus per prædicationem sui ad Patrem abitus vaticinatus fuerat. Et sanè negari nequit, passionem Christi esse unicam causam meritoriam spiritualis nostræ mundationis, 1. Johan. 1, v. 7. Apocal. 1, v. 6. sed quia Christus hic non agit de purgationis merito, sed medio, & quia disertè addit, *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*: ideo non de sua passione adhuc futura, sed de Evangelii prædicatione jamdum facta hic loquitur, ac docet, medium illud, quo Pater cœlestis in discipulorum mundatione usus fuerit, esse sermonem, ne vel suis viribus, vel propriae justitiæ mundationem illam adscribant. Quidam nomen sermonis specialiter acci-

accipiunt de sermone, quem de sua passione, morte & resurrectione ad discipulos fecerat, vel de eo, quo dixerat: *Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me*: vel de eo, quo dixerat, *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, quæ pax nihil aliud est quam condonatio peccatorum conscientiam purificans & mundans, vel de sermone, quem in novissima cœna habuerat. Sed quia Christus indefinitè loquitur, & disertè addit, *propter sermonem, quem locutus sum vobis*, idèo rectius in genere accipitur de tota Evangelii propriè & specificè sic dicti doctrina. Neque tamen loquitur de omni sermone quem discipulis locutus fuerat, sed de sermone, ut diximus, Evangelico specificè sic dicto; non de concionibus legalibus, non de vaticiniis excidium Hierosolymitanum & finem mundi concernentibus, sed de Evangelio, id est, doctrina de persona, officio & beneficiis Messia, quæ est proprium & adæquatam fidei corda purificantis objectum. Atque ex eo facile jam apparet, quæ ratione sermo Christi Apostolos & omnes verè credentes mundet. Quidam dicunt, verbum Christi idèo mundare, quia cor peccatoris concutiat, ut in medio peccatorum cursu subsistat, cum sit ignis, Jer. 23, 29. & gladius, Hebr. 4, 12. quia omnia vitia reprehendat, eademq; ab omnibus membris amputet, quia ad omnis generis bona opera nos inducat & excitet, quia hortetur nos, ut à mundo & impiorum consortio nos separemus. Sed hæc omnia potius sunt præparatio quædam, & prærequisitum necessarium ad purificationem, non autem ipsa purgatio; nec medium spiritualis purificationis propriè in Lege quærendum, sed in Evangelio. Quidam dicunt, verbum Christi idèo mundare, quia ostendat nobis fontem omnis mundicie, à quo nostra purgatio unice descendat, videlicet Christum, atque ad eum nos deducat. Hoc verè quidem dicitur, sed insufficienter. Dicitur ergò sermo Christi, hoc est, verbum Evangelii mundare 1. *Doctrinaliter*, quatenus ostendit nobis viam ac modum, quâ ratione à peccatis mundari possimus. 2. *Objectivè*, quatenus promissiones Evangelii sunt proprium & adæquatam fidei justificantis, & corda purificantis objectum. 3. *Instrumentaliter*, quatenus est efficax medium, per quod Spiritus sanctus fidem in nobis accendit, Gal. 3, 2. qua fide corda purificantur, Act. 15, 9. ad nostram salutem, Roman. 1, v. 16. Diximus superius, purificationem consistere primò in regeneratione, secundo in renovatione. Utrumque beneficium confertur nobis per verbum Evangelii; Qui enim verbum Evangelii audit, in illius corde Spiritus sanctus fidem operatur, quæ promissionem de remissione peccatorum propter Christum Mediatorem amplectitur sibi applicat, quâ ratione homo à peccatis purgatur, justificatur & regeneratur. Per idem verbum Evangelii fide apprehensum datur etiam Spiritus sanctus, qui reliquias carnis mortificat, & naturam hominis renovat; intellectum à tenebris ignorantia & falsis opinionibus; voluntatem à pravitate; cor à vitiosis affectibus; sensus à vitiosis motibus; membra à peccati servitute liberando, quæ liberatio sive renovatio non est statim numeris omnibus absoluta & perfecta, sed quotidie crescit, & per totam vitam continuatur. Et quia in carne renatorum adhuc manent peccati reliquiae, idèo pii in hoc mundo variis adversitatibus & persecutionibus propter confessionem Evangelii sustinendis obji-

ciuntur, quæ itidem instar acutæ cuiusdã fascis peccati stiones amputantur, sic; purificationi, quæ per renovationem quotidianam peragitur, quasi administrantur. Hæc omnia Christus miranda brevitate complectitur, quando dicit, *mundi estis propter sermonem*. 5. Deniq; addit, *propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Ne quis existimet, quemlibet vel cuiuslibet sermonem mundare, idèo disertè addit, se loqui de illo sermone, quem hæctenus Apostolis prædicaverit, qui solus vim mundandi ac purgandi obtinet. De hoc sermone paulò antè dixerat, Joh. 14, v. 24. *Sermo quem auditis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris*. Ostendit ergò medium, quo Pater in discipulorum purificatione usus fuerit, videlicet quod sermo, quem in nomine Patris, & ex sinu Patris prolatum, ipsis hæctenus proposuerit, sit salutaris illius purificationis medium. Et quia disertè dicit, *se locutum esse illum sermonem, quo purgatio discipulorum fuerit perfecta*: idèo Chrysostomus, Augustinus & Cyrillus in hunc locum ex eo contra Arianos rectè colligunt, Christum, qui se viti, ac Patrem suum agricolæ prius comparaverat, eo ipso ostendere, quod sit ejusdem cum Patre naturæ & essentiæ, cum unam eandemq; operationem, videlicet purificationem cum Patre communem habeat, ac proinde quod vitis & agricola in naturalibus sunt diversæ naturæ, illud non posse nec debere ad cœlestem hanc vitem, & ad cœlestem agricolam applicari. Videmus igitur 1. quantus thesaurus sit verbum Evangelii, quippe per quod non solum Christo veræ viti inferimus, quando scilicet fide illud recipimus, Rom. 10, v. 17. sed etiam per illud mundamur, ut copiosorem fructum feramus. 2. Proinde verbum illud amemus & magnificiamus tanquam unicum medium, per quod ad Christum animarum nostrarum purificatorem & æternam salutem, in qua perfecta erit mundicies, perducimur. 3. Quod autem de verbo hic dicitur, videlicet per illud fide receptum nos Christo implantari, & ad fructificationem mundari, illud etiam de Sacramento, quæ sunt verbum visibile & salutaria fidei accendendæ, augendæ, confirmandæ & obsignandæ media, est intelligendum. 4. Ac proinde *Sacramenta non profunt ex opere operato, sed quia verbum in illis propositum fide apprehenditur*, quâ de re Augustinus tractat. 80. in Johan. præclare sic differit: *Quare non ait, mundi estis per Baptismum, quo loti estis, sed ait, propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad Elementum, & sit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Unde illa tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluit, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens &c. Hoc est verbum fidei quod predicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus*. 5. Quia propter verbum fide apprehensum mundi sumus, ergo non per operum nostrorum merita à peccatis mundamur. 6. Quia discipuli dicuntur mundi, ac nihilominus æque ac reliqui palmites frugiferi quotidianâ Patris cœlestis mundatione indigent, ergo mundatio nostra in hac vita non consistit in totali peccati eradicatione & abolitione, sed in ejusdem remissione,

sione,

sione, tectioe, non imputatione; ac inhærens nostra mundities non est perfecta, sed inchoata, quotidie per renovationis continuationem fumens incrementum, donec in vita æterna erit omnibus numeris perfecta & absoluta. Augustinus d. l. *Jam vos mundi estis, mundi scilicet atque mundandi. Neque enim nisi essent, fructum ferre potuissent, & tamen omnem, qui fert fructum, purgat agricola, ut fructus plus afferat. Fert fructum, quia mundus est, atque ut plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim est in hac vita mundus, ut non sit magis magisque mundandus? ubi si dixorimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Mundet itaque mundos, hoc est, fructuosos, ut tantò sint fructuosiores, quantò fuerint mundiores.* 7. Quia mundatio fit per Verbum, ergo non immediatè, sed per Ministros Ecclesiæ Verbum prædicantes, & Sacramenta administrantes, qui in hoc mundationis opere sunt Dei *ὕψιστοι*, 1. Cor. 3. vers. 9. Quemadmodum enim Apostolus ex eo, quod *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16. rectè colligit, Ministros Ecclesiæ *auditores suos salvos facere*, 1. Tim. 4. v. 16. sic ex eo, quod sermo, quem locutus est Christus, dicitur mundare, rectè colligitur, Ministros Ecclesiæ Verbum Christi prædicantes auditores suos mundare. Christus non dicit: *Mundi estis propter sermonem, quem inspiravi vobis, sed quem locutus sum vobis.* Ergo Verbo prædicato & audito vim mundandi tribuit, quam etiam ipso actu exerit, si fide recipitur. 8. Propter quod *abicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ in mansuetudine suscipiamus insitum Verbum, quod potest animas nostras salvas facere*, Jacob. 1. vers. 22. Quisquis enim Verbi Dei, & doctrine Evangelicæ purificationes spreverit, tristibus & pœnalibus purificationibus semetipsum reservat, ut ignis gehennæ in cruciatibus purget, quem nec Apostolica doctrina, nec Evangelicus sermo purgavit, ait Origenes in fine lib. 8. comment. in Epistola ad Romanos. Sed quia peccatorum maculæ in damnatis erunt indelebiles atque ineluibiles, idè ignis eos propriè loquendo non purgabit, sed cruciabit.

2. Ex hac comparatione jam deducit Christus *seriam exhortationem ad perseverantiam in fide.* Exhortationis illius partes sunt tres: 1. *Propositio.* 2. *Rationes*, sive argumenta persuasoria. 3. *Conclusio.* Propositio sic habet: *Manete in me.* Jansenius, Barradius & Maldonatus etiam sequentia verba, & *ego in vobis*, ad propositionem pertinere statuunt, ea quippe non *promissivè*, sed *præceptivè* esse accipienda existimant, cum statim addatur vers. 5. *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Sic ergo foret sensus: *Curate & operam date, ut in me maneat, & ego in vobis maneam; ex quo colligit Maldonatus, in nostra esse potestate, juvante divinâ gratiâ, ut in acceptâ gratiâ maneamus, ac non stare nisi per nos, quò minus Christus in nobis maneat.* Rectè quidem dicitur, non provenire ex absoluto reprobationis decreto, quod quidam in Christo non manent, sed propriæ ipsorum culpæ hoc esse tribuendum, cum gratiam sufficientem ad perseverantiam acceperint, interim quod reliqui in Christo manent, non tribuendum est ipsorum vel meritis vel viribus, sed unicè divinæ gratiæ, quam illi non æquè ac priores spon-

taneâ malitiâ repudiant, sed illi locum relinquunt, neque hac in re agunt propriis & naturalibus, sed novis à Spiritu sancto donatis viribus, adeo quæcum Apostolo dicunt, 1. Corinth. 15. v. 10. *Gratiâ Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me non fuit vacua, sed abundantius omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei, quæ mecum fuit.* Concinnius proinde judicamus, verba illa, & *ego in vobis*, cum Euthymio statuere esse *promissoria*, & primum exhortationis argumentum continere, cui expositioni non repugnat, quod Christus postea dicit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Cum enim Christus in omnibus illis maneat, qui per fidem ipsi insiti in ipso manent, nec initium separationis fiat ab ipso, sed ab hominibus: idè in subjecto sequentis argumenti rectè potuit hæc duo conjungere, postquam in primo exhortationis argumento promissit, se in omnibus illis mansurum, qui in ipso firmâ & perseverante fide manent. Maldonatus putat, *τὸ μένεν in Christo, non fieri per solam fidem, sed multò maxime per caritatem, cum per fidem multi in Christo maneat, qui tamen fructum non ferant, de quo mansionis genere frugiferis tantum palmitibus competente Christo hoc loco agere in propatulo est, cumque manere sit humorem ex vite trahere, jam verò caritas est anima vita, quæ vitalem succum ex radice trahit, eâ qui destituuntur, per fidem in vite manent, sed ut arida & emortua sarmenta.* Respondetur 1. facile concedimus, si per fidem intelligatur nuda fidei confessio, verbalis de fide gloriatio bonorum operum testimonio & fructu destituta, vel etiam fides historici notitiæ & assensu duntaxat constans, per ejusmodi fidem solam nos non posse in Christo manere. Theophylactus in hunc locum: *Siquidem solam ac nudam confessionem fidei quis habeat, & non per observantiam mandatorum fructum ferat, palmes mortuus sit.* Sed quando agitur de vera & viva fide, quæ fiduciali apprehensione meriti Christi constat, per eam & quidem solam in Christo manemus. 2. Per quod enim Christo viti inferimur & implantamur, per idem in Christo manemus. Jam verò per fidem promissionem Evangelii amplectentem in Christo manemus. 3. Hanc explicationem suppeditat nobis Christus ipse in sequenti versu 7. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis.* Ergo nostrum manere in Christo pendet ex eo, quod verba Christi in nobis manent. Jam verò verba Christi in nobis non manent nisi per fidem. Ergo etiam nos non manemus in Christo nisi per fidem. 4. Idem disertis verbis docet Christus, Johan. 6. v. 56. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* Jam verò spiritualiter Christi carnem manducare, & ipsius sanguinem bibere, non fit aliter nisi per fidem, sicut Christus ipse explicat in eodem capite versu 29. 35. 40. 47. &c. 5. Ultimè etiam hoc argumento: Per quod ad ferendos bonorum operum fructus apti reddimur, per illud in Christo manemus, de eo enim mansionis genere hic agi patet ex toto contextu. Jam verò per fidem ad ferendos bonorum operum fructus apti reddimur, quia *fides est vita spiritalis anima*, Hab. 2. v. 4. est

est lux animæ & corda purificat, Act. 15. v. 9. *fide datur Spiritus sanctus*, Eph. 1. v. 13. qui ad omnis generis bona opera credentes impellit, Rom. 8. 14. &c. Ergo etiam per fidem in Christo manemus. 6. Vera & viva illa fides *per caritatem est efficax*, Galat. 5. 6. proinde non destituitur caritate, quo sensu rectè dicitur, nos fide per caritatem efficace in Christo manere, quo etiam sensu accipiendum illud Johannæum, 1. Epist. 4. v. 16. *Deus est caritas, & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in ipso*. 7. Interim caritas non est fidei forma, nec animæ vita, sed est fidei effectus & animæ fidelis vitalis actio, inde Johannes mentem suam sic explicat, 1. Epist. 3. v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*, ubi non dicit, quod de morte ad vitam translati simus per caritatem (quo sensu Pontificii hæc verba accipiunt) sed quod sciamus, id est, cognoscamus ex caritate tanquam fidei fructu & indicio, nos esse de morte ad vitam translatos. Ac naturæ ordine per fidem oportet nos prius Christo inferi, & vitalem succum ab eo haurire, antequam caritatem & alios Spiritus fructus proferre possimus, Gal. 5. v. 22. Bernh. ferm. 2. de resurrectione. col. 133. *Fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est, opera, quæ dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me. Ne discrepare videatur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam esse asserit in semetipsa. Sicut enim corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Quin ipse Stapletonus in promptuar. morali Domin. 12. post Pentecost. loc. 4. p. 303. sic scribit: Sicut vitæ animalis argumentum est motus membrorum: sic vitæ spiritualis certum indicium est amor erga proximum & opera caritatis. Quando ergo Christus ab Apostolis, & ab omnibus credentibus requirit, ut in se maneant, tum exhortatur eos, 1. ne per crucem & persecutiones patiantur se à doctrina Evangelii & fidei confessione dimoveri, Matth. 13. v. 21. 2. Ne consentiant erroribus cum fidei fundamento pugnantibus, qui directè fidei adversantur. 3. Ne indulgeant concupiscentiis carnis, neve peccato dominium concedant, cum per peccata contra conscientiam itidem fides excutiat. Non possunt renati simul vitæ huius vitæ & vitæ mundi vivere, illa enim est à spiritu mundi, hæc à Spiritu Dei; illa spiritualis, hæc carnalis; illa Deo grata, hæc exosa. 4. Ut verbum, per quod fides alitur & confirmatur, diligenter audiant ac meditentur, Sacramentorum usu fidem confirmant, ac per serias preces perseverant in fide à Deo petant. 5. Ut fidem suam per dilectionem, & omnis generis bona opera exerant, sicque & sibi ipsis, & aliis testatum reddant, se in Christo esse & manere, 2. Petr. 1. 10. 1. Joh. 3. 14. Atque hanc exhortationem deducit Christus ex præcedente comparatione, vel certè ad principalem scopum sibi propositum præcedentem comparationem applicat: *Quia Ego sum vitis*, cui vos initar palmitum infiti, ideo in me vera vite manete. Quia Pater meus palmitem in me non ferentem fructum (id est, non manentem in me, ut fructum ferat,) tollit, ideo in me manete. Quia mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, ideo in me manete, & verba mea in vobis maneat. Theophylactus in hunc locum: *Ego quidem, inquit, vos purgavi per sermonem meum & doctrinam, & nihil quod ego facere debui, prætermisum est, oportet autem nunc, ut incipientur & ea, quæ à vobis sunt. Colligitur autem ex**

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars tert.

hac exhortationis propositione 1. Christi *Philargonia* & benignitas, quæ nostram salutem serio expetit. Sicut vitis potest esse sine palmitibus, neque quidquam ab eis accipit, sed palmites non possunt esse vivi & fertiles sine vite, & omnia à vite accipiunt: sic Christus potest esse beatus in semetipso sine nobis, neque quidquam à nobis accipit: sed nos non possumus esse spiritualiter vivi & fertiles sine Christo, & omnia à Christo accipimus, interim tamen ex immensa *Philargonia* Christus tam benevolè nos invitat, ac tam paternè exhortatur, ut in se maneamus, ac si magna ipsi per nostram in fide constantiam, & ab ea dependentem animarum nostrarum salutem fieret accessio. Qui invitat aliquem, ut apud se maneat, sincerè eum diligit, nisi ex hypocritale quid proferat, quod de Christo cogitare nefas. 2. Elucet etiam ex eo Christi benignitas, quod non imponit nobis grave & importabile jugum, nec durum atque arduum quippiam præcipit, sed hoc duntaxat requirit, ut in se maneamus. Quemadmodum enim palmiti nihil facilius, nihil utilius, nihil dulcius quàm in vite manere; ita quoque spiritualibus palmitibus, id est, verè credentibus, Spiritu sancto renatis non solum utile & necessarium est in Christo vera vite manere, sed etiam facile ac delectabile, Matth. 11. 29. 1. Joh. 5. 3. &c. 3. Quia Christus tam serio hortatur, ut credentes in se maneant, ex eo colligitur, quod semel renati & verè credentes possint iterum à Christo separari, ac fide, gratiâ Dei & salute excidere. Rom. 11. 22. 1. Cor. 10. 12. Hebr. 6. v. 6. &c. Palmes esse non potest, qui aliquando non vixerit in vite, & tamen requiritur, ut palmes in vite maneat. Ergo à vite excindi potest, qui prius fuit vivus palmes. 4. Ideò Christus tam sollicitè nos hortatur, ut in se maneamus, quia probè novit, plurima esse, quæ nos à se abstrahunt & abducunt, videlicet carnis illecebræ, Satanae insidiæ, mundi odia & fallacia promissa, contempta species externa, quam Christus & regnū ejus in hoc mundo obtinent &c. 5. Christus non tantum ad qualemcunq; *externam*, sed ad *spiritualem, internam* & arctissimam conjunctionem nos hortatur. Neque enim dicit, *manete mecum, vel apud me, vel sub me*, sed *manete in me*. Non sufficit palmitibus manere cum vite, vel apud vitæ, vel sub vite, sed requiritur ut maneant *in vite*: ita quoque non sufficit exterior cum Christo conjunctio, sed requiritur, ut intimâ ac mysticâ conjunctione in ipso maneamus, si fructum ferre debeamus.

Huic exhortationis propositioni subjicit Christus *varia argumenta*, quorum primum petitum est à *gratiosa habitationis suavitate*. *Manete in me, καὶ ἐν ἐμοί, & Ego in vobis*, scilicet mansurus sum. Si in me manebitis, ego in vobis manebo. Quidam putant, hoc argumentum ductum esse à proprio exemplo. Christus non deserit credentes, sicut vitis non deserit suos palmites. Ergo etiam non deserendus est à credentibus. Sed rectius dicitur argumentum ductum esse ab insigni promisso. Quando enim Christus dicit, *manete in me, & ego in vobis*, tum promittit credentibus firmâ de in se manentibus gratiosam & mysticam inhabitationem, quæ nihil suavius vel jucundius credentibus obtingere potest. Illa quippe complectitur 1. vitæ spiritualis & gratuitorum beneficiorum communicationem. Manebo in vobis vitam spiritualem & omnia mea beneficia passione & morte mea parando communicando. Christus

Bb bb bb

cò fe-

eo ferè sensu de vitæ spiritualis communicatione nobis loquitur, quo anima de vitæ naturalis communicatione corpori loqui posset. Sis temperans & mane in me, tunc etiam manebō in te. 2. Spiritus sancti donationem. Manebo in vobis, Spiritum sanctum & ejus charismata vobis donando, per quem de inhabitatione mea certi & ad omnis generis bona opera producenda fœcundi reddamini, 1. Joh. 4. v. 13. ex eo cognoscimus, quoniam in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. 3. Specialem dilectionem. Si manseritis in me per fidem, & ex illa fide me sincerè dilexeritis, etiam ego in vobis manebō per specialem dilectionem, quâ vos ut dilectos Dei filios & fratres meos complectar. 4. In gratia conservationem. Manebo in vobis, ut nec mors nec vita, nec Angeli, nec principatus, nec virtutes, nec instantia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec ulla creatura vos separare possit à caritate Dei, quæ est in me, Rom. 8, 38. & 39. sed ut virtute Dei per fidem ad salutem custodiamini, 1. Petr. 1, 5. 5. In omnibus periculis & adversis protectionem & finalem ex illis liberationem. Manebo in vobis per gratiosam & diligentem custodiam, per specialem curam & providentiam, non deseram vos, sed aderō in adversis ac tandem dabo gloriosam *ἐκδόσιν*, 1. Cor. 10. v. 13. 6. Felicis successus largitionem. Manebo in vobis, labores vestros, & ministerium vestrum salutare reddendo, sicut statim additur v. 16. ego posui vos, ut eatis & fructū afferatis, & fructus vestri maneat. Confer Marc. 16, 20. Rom. 15, 18. 1. Cor. 15, 10. &c. Quinimò cum in Christo sit omnium bonorum thesaurus, Dei Patris *ἐκδοσία*, filiationem, justitiam, salutem & vitam æternam illis conferre velit, qui in ipso per fidem manent. Notandum verò circa hanc promissionem 1. quod sit merè gratuita. Neq; enim sensus est, quod nostra in Christo mansione promereri possimus, ut Christus cum suis beneficiis in nobis maneat, sed describitur duntaxat ordo, quem Deus in negotio salutis nostræ velit observare. Inserit nos per fidem veræ vitæ Christo, confert Spiritum S. per quem ad fructus bonorum operum producendos nos fertiles reddit, idq; omne ex mera & indebita gratia. Postmodum verò à nobis requirit, ut novis à Spiritu S. donatis viribus in acceptâ gratiâ permaneamus, ut veræ vitæ Christo per constantem fidem perseveranter adhæreamus, ut Verbi meditatione & piis precibus in fide nos confirmemus, ut peccatis contra conscientiam à Christo separari caveamus &c. id si à nobis impetrat, gratiam pro gratia reddit, ac sua in nobis dona, non nostra coronat merita, quando promittit, se in nobis mansurum, & paulò ante enumerata beneficia nobis largiturum. 2. Quod Christus prius dicat, manete in me, ac postea demum subjungat, & Ego in vobis, scilicet manebō, quo ipso significat, quod quamdiu in ipso manemus, tamdiu etiam in nobis manere velit, quod nolit nos deserere, nisi prius à nobis deseratur. 1. Sam. 15, 23. pro eo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus. 2. Par. 12. v. 5. Hæc dicit Dominus, vos reliquistis me, & Ego reliqui vos. cap. 15, 2. Jehova vobiscum, cum fueritis cum eo, si verò dereliqueritis eum, dereliquet

vos. Pl. 81, 13. Non paruit populus voci meæ, & Israël noluit mihi, dimisi igitur illos. Os. 4, 16. Sicut vitula rebellis rebellavit Israël. v. 17. dimitte illum. Augustinus serm. 88. de temp. *Nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur, semel, secundo & tertio gravia peccata committente, & Domino illum nihilominus expectante. Prop. in resp. Gratia Dei prius eos non deseruit, quam ab eis deseretur. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 13. Justè deseritur à Deo, qui deserit Deum, & quia deserens Deum homo peccat, deserens peccatorem Deus justitiam servat.* 3. Quod magnum sit discrimen inter mansionem nostram in Christo & mansionem Christi in nobis, ut apparet ex utriusque mansionis descriptione superius tradita. Augustinus tractat. 81. in Johan. *Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Utrumque autem prodest non ipsi, sed illis. Ita quippe in vite sunt palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant, unde vivant: ita verò vitis est in palmis, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrumq; non Christo. Nam præciso palmitē potest de viva radice alius palmes pullulare, qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.* Quod ergo quidam disputant, non solum nos Christo, sed etiam Christum nobis inseri, idque probare cupiunt ex Jacob. 1. vers. 21. *suscipite λόγον ἐμὸν*, illud approbare minimè possumus. Ibi enim non agitur de λόγῳ *ὑποσάμνω*, sed *προφασίω*, ac Christus non est in nobis per inscriptionem, sed nos duntaxat eo modo in ipso sumus, Rom. 6. v. 5. 4. Quod mansio Christi in nobis sit fons omnium beneficiorum spiritualium, quæ tūm in hac, tūm in futura vita credentibus obtingit. De sapientia dicit autor libri Sap. cap. 7. v. 11. *omnia bona mihi cum ea venerunt, illud de Sapientia hypostatica & increata, Christo rectè usurpari potest. Christus nobis factus est à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio.* 1. Cor. 1. v. 30. Ergo, in quo Christus manet, ille sapientia, justitia, sanctificationis & redemptionis particeps est. 5. Quod mansio illa Christi in illis tantum locum habeat, qui sunt in ipso uniti, sicut vitis non manet nisi in palmitibus in se unitis.

Alterum exhortationis argumentum deducitur à mansionis in Christo necessitate. *Sicut palmes non potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit in vite: Sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Argumentatur Christus hoc modo: Quodcumque vobis utpote palmitibus ad fructificationem maxime necessarium, illud etiam vobis debet esse unice commendatum. Jam verò vobis utpote palmitibus ad fructificationem maxime necessarium est, ut in me vera vite maneat. Ergo illa vestri in me mansio vobis debet esse unice commendata. Assumptum probat dupliciter, Primò negativè: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Secundò affirmativè: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Rationem connexionis ex propolita similitudine deponit. *Ego enim sum vitis, vos palmites, quæ ratio cum in medio sit posita affirmativè, & negat, & probationi accommodari potest.* Argumentum sic formari potest. Quo modo se habent palmites ad vitam respe-

respectu fructificationis, eodem modo vos ad me habetis, *Ego enim sum vitis, vos palmites.* Atqui palmites ad vitem respectu fructificationis eo modo se habent, ut non possint fructu ferre à semetipso, nisi manserint in vite, & vicissim, ut in vite manentes multum fructum afferant. Ergo & vos eo modo ad me habetis, ut non possitis ferre fructum nisi in me manseritis & vicissim, ut in me manentes multum fructum afferatis, ac per consequens illavestri in me mansio debet vobis esse unice commendata. Circa majorem propositionem hujus argumenti & ejus probationem notandum, 1. quod Christus Apostolos, & sub eorum nomine omnes credentes explicitè jam vocet *palmites*, quos superius in tertio comparationis membro duntaxat implicitè sic vocaverat, quando proprium cœlestis agricolæ circa frugiferos palmites officium in purgatione positum ad ipsos retulerat, dicens: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Prius dixerat, se esse *vitem*, nondum verò expressis & distinctis verbis dixerat, Apostolos esse *palmites*: hic verò in applicatione propositæ similitudinis utrumq; expressis verbis asserit, videlicet se esse *vitem*, Apostolos verò & omnes in se credentes, esse *palmites*. Quare se ipsum vitem, & quidem veram vitem dixerit, superius fuit expositum, hic explicandum restat, quare Apostolos & omnes in se credentes palmitibus comparat. Fit illud: Primò *propter intimam conjunctionem.* Palmites frugiferi non solum exteriore, sed etiam interiore quadam unione viti adhærent, vel enim sunt ex eo nati, vel eidem insiti: sic credentes non solum exteriore, sed etiam interiore quadam unione, mysticâ feliciter ac spiritaliter, Christo veræ viti sunt conjuncti, sunt enim ex eo spiritaliter nati per regenerationem, ac sunt ipsi insiti per fidei implantationem, Rom. 6, 5. 1. Cor. 6, 17. &c. Secundò, *ob conjunctionis illius conditionem.* Quemadmodum nihil preciosius, nobilius, dignius, & patrifamilias gratius est palmitibus in vite vivente & fructificante; ac vicissim nihil abjectius, inutilius, ignobilius, & patrifamilias magis exosum palmitibus à vite resecto & in frugifero; sic nihil gloriosius est, & Deo gratius, homine credente in Christo, verâ fide manente & fructificante: nihil miserius, abjectius & Deo magis exosum homine Christiano à vera vite Christo separato & sejuncto, Ezech. 15, 2. & seqq. Tertio, *ob palmitum distinctionem.* Plinius lib. 17. Natural. Histor. cap. 22. & Columella lib. 5. de re rustic. cap. 5. palmitum duo genera constituunt, quosdam vocant *pampinarios*, qui pampinos tantum proferunt ac lætam sine fructu ostendunt frondem; quosdam verò *fructuarios*, qui proferendis fructibus agricolæ spem faciunt: sic duo sunt Christianorum genera in Ecclesia, quidam verbis duntaxat *confitentur se nosse Deum, factis autem abnegant*, Tit. 1, 16. *habent speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegant*, 2. Tim. 3, 5. quidam verò *divites & fertiles sunt in operibus bonis*, 1. Tim. 6, 18. Tit. 3, 14. Quarto, *ob vite & succi receptionem.* Quemadmodum palmites vitam & succum vitalem ad fructificationem necessarium accipiunt à vite: sic credentes vitam spiritualem & humorem gratiæ ad proferendos bonorum operum fructus necessarium à Christo hauriunt. Sicut palmites quicquid habent viriditatis, succi & fructus, illud omne viti acceptum ferre coguntur, quippe cui & nativitate, & alimentum debent:

*Harm. Tom. III, vel Gerhard. Contin. pars tert.*

sic credentes, quicquid boni, quicquid pulchri obtinent, Christo debent, quippe ex quo spiritaliter nascuntur, & à quo per succum spiritualis gratiæ & vim vivificam Spiritus sancti aluntur. Quintò, *propter perpetuam culturam & curationem.* Sicut palmites perpetuâ indigent vinitoris curâ & culturâ, quia labor vineis impendendus per totum anni decursum extenditur, ac finis unius laboris est alterius initium. *Nulla possessio majorem operam requirit*, inquit Cato de re rustica: sic credentes quotidianâ indigent cœlestis agricolæ curâ atque culturâ. Sextò, *propter necessariam putationem.* Plinius d. l. *non indulgendum est viti, & semper inhibenda fecunditas, ea est enim natura, ut parere malit quam vivere. Quicquid materie adimitur, fructui accedit &c. temperetur hic modus, ut crescere malit quam parere:* sic cœlestis agricola purgat omnem palmitem fructum ferentem, ut copiosorem fructum afferat. Septimò, *propter fructificationem.* Sicut palmites licet exteriùs contentam habeant speciem, virtute à vite acceptâ proferunt fructus generosissimos ac dulcissimos: sic credentes, licet coram mundo sint contenti, virtute à Christo acceptâ, proferunt fructus bonorum operum Deo & hominibus longè gratissimos. Olea, palma & ficus itidem sunt frugiferæ arbores; interim tamen vitis ob fructuum pretiositatem illas dignitate superat, unde pii Veteris Testamenti comparantur *olivis*, Psal. 52. v. 10. Ol. 14, 7. Syrac. 50, 11. & *palms*, Psal. 91, 13. sed pii Novi Testamenti comparantur *palmitibus*, quia cum uberiorem gratiam in credentes Novi Testamenti Deus contulerit, ideo etiam uberiorem ab illis fructum requirit. Octavò, *propter necessariam in vite mansionem.* Sicut palmitibus ad fructificationem maximè necessarium est, ut in vite maneant: ita quoque credentibus maximè necessarium est, ut per firmam & constantem fidem in Christo maneant, si fructus Deo gratos proferre desiderent. Atque ad hoc ultimum comparationis membrum Christus præcipuè respicit, illudque distinctis verbis repetit, quando dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Admonet autem nos istud comparationis membrum nostri officii, ut non solum in vite Christo, cujus palmites sumus, firmâ & constante fide maneamus, sed etiam pro beneficiis acceptis eidem nos gratos præbeamus. Sicut palmes, si ratione præditus esset, maximas viti gratias ageret, quippe, cui & generationem & alimentum se debere, agnosceret; ita nobis spiritalibus palmitibus ratione præditis, & fidei lumine donatis competit maximas Christo gratias agere, ex quo non solum spiritaliter nascimur, ac per fidem ei inserimur, sed etiam Spiritu sancto & Verbo ab ipso nutrimur. Sicut palmes, si ratione præditus esset, omnes viti offensas studiosissimè caveret, quippe à qua omne bonum se accipere agnosceret: ita nobis spiritalibus palmitibus competit, offensas tanti benefactoris nostri studiosissimè cavere. Sicut palmes, si ratione præditus esset, intelligeret, non sufficere, quod frondes proferat, sed requiri insuper etiam fructus, ac proinde etiam continuo actu succum ad fructificandum necessarium ex vite attraheret: ita nos spiritalibus palmitibus intelligamus, non sufficere



verborum folia, sed requiri etiam bonorum operum fructus, ac proinde per serias preces & Verbi meditationem humorem gratiæ ad fructificandum necessarium indefinenter à Christo hauriamus. Sicut palmes, si ratione præditus esset, non succenseret agricola, quod turpi fimo conspurcetur, ac falce acutâ præsecetur, intelligeret enim, utrumque ad fructificationem promovendam ab agricola dirigi: ita nos spirituales palmites cœlesti agricolæ haudquaquam succenseamus, quod per crucem & adversa nos exerceat, cum sciamus, illud unice eò spectare, ut ad proferendos copiosiores pietatis fructus præparemur. Quicquid palmiti apponitur, in suum vertit commodum, eodem modo & nos agamus. Sicut palmites, cum non sint ratione præditi, naturæ ductu per capreolos & claviculos arboribus atque palis sese alligant: ita nobis spiritualibus palmitibus multo magis convenit, ut Verbo Dei, quod *baculus & virga est*, Psal. 23. v. 4. fide nos alligemus. 2. Quod denuò repetat, *se esse vitem*, quod jam antè superius dixerat. Plurimum enim ad fructificationem confert, si perpetuò auribus & cordibus nostris hoc insonet: *Ego sum vitis*, sicut filiis ad obedientiam, uxori ad reverentiam, ægrotis ad desiderium maximopere confert, si perpetuò cogitent illum, cui obedire debent, esse *parentem*; illum, quem revereri debent, esse *maritum*; illum, quem desiderare, eique obsequi debent, esse *Medicum*.

Circa minorem hujus argumenti propositionem in genere notandum, 1. quòd Christus eandem sententiam, videlicet ad fructus bonorum operum ferendos necessarium esse, ut in se maneamus, binis vel etiam tribus vicibus repetat, utpote primò *negativè*: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis*. Secundò *affirmativè*: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*. Tertiò iterum *negativè*: *Quia sine me nihil potestis facere*. Bina illa vel etiam trina repetitio emphaseos & efficaciz causâ facta est, ut mansionis in Christo necessitas nobis magis inculcetur, ac discamus, Christum esse unicum spirituales fructificationis fontem, salutis nostræ proram & puppim, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, Hebr. 12. v. 2. A & Ω, Apocal. 1. v. 8. & proinde summum bonum statuamus in Christo manere, summum malum ab ipso seungi. Habent enim Hebræi regulam, quod repetitio ejusdem sententiæ sive facta sit iisdem, sive diversis verbis, iisque vel synonymis vel oppositis negatis, non sit otiosa sed vel certitudinis, vel explicationis vel ornatus causâ adhibeatur. Augustinus in Psal. 74. *Firmamentum esse sententiæ in repetitione multis Scripturarum locis docetur*. Gregorius lib. 28. moral. cap. 38. *Mos sacri eloquii est, ut res semel dicta pro confirmatione replicetur*. Hoc loco eadem sententia non quidem iisdem, sed diversis, & quidem oppositis verbis repetitur, cujus repetitionis similia exempla cum emphasi singulari conjuncta occurrunt, Gen. 42. v. 2. Exod. 9. v. 19. cap. 12. v. 20. Deut. 28. v. 13. cap. 32. v. 6. Jud. 11. v. 34. 2. Reg. 20. v. 1. Esa. 3. v. 9. cap. 38. v. 1. Jerem. 20. v. 14. Johan. 1. v. 3. & 20. cap. 3. v. 15. 16. cap. 5. v. 24. 1. Corinth. 1. v. 10. Galat. 5. v. 1. &c. Ex eadem repetitione intelligimus, Christum optimè nobis consultum cupere, ac nostram fructificationem & salutem serio desiderare, aliàs eandem sen-

tentiam nequaquam toties inculcasset. 2. Quod fructus illi, quos in Christo manentes proferimus, extra Christum verè proferre minimè possumus, non sint unius generis. Primò enim quidam sunt omnibus verè piis & credentibus communes, quales sunt *fructus Spiritus*, quos describit Apostolus, Gal. 5. v. 22. quod sint *caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia*; quidam verò sunt certis quibusdam credentibus proprii, quales sunt, quos pro ratione peculiaris vocationis ac donorum ministrantium quidam in Ecclesia proferunt. Sic Apostoli protulerunt fructum non solum in faciendis multis bonis operibus & persecutionibus atq; afflictionibus patienter sustinendis, quos fructus cum omnibus verè piis communes habuerunt; sed etiam in Evangelio per totum terrarum orbem prædicando, & miraculis compluribus illius veritatem probando, Marc. 16. 15. & 20. qui fuit ipsorum proprius fructus. Secundò quidam fructus objecti loco habent *Deum*, ut fides, dilectio, timor, invocatio, confessio, gratiarum actio &c. quidam *proximum*, ut dilectio, misericordia, justitia, veracitas, & omnis generis officia: quidam *ipsum hominem* fructificantem, ut *justitia, pax, gaudium in Spiritu sancto*, Rom. 14. v. 17. continentia, temperantia &c. Sic ergo credentes fructificant Deo, proximo, & sibi ipsis &c. Fundamentum hujus distinctionis extat, Matth. 6. v. 15. & 16. Tit. 2. v. 12. Tertiò quidam fructus pertinent ad *regenerationem*, ut fides, justificatio, adoptio & salvatio; quidam verò ad *renovationem*, ut justitia inhærens, donatio Spiritus sancti, sanctificatio &c. fructuum enim nomine non solum accipiuntur beneficia Christi, credentibus ex gratia data; sed etiam opera, quæ credentes virtute Spiritus à Christo acceptâ ad Dei honorem & proximi commodum faciunt. Vitis quædam operatur in palmitibus, quædam producit per palmites. Sic Christus quædam in nobis operatur ut justificationem, inquisitionem, regenerationem, virtutem fructificandi &c. quædam verò *per nos* operatur, ut ipsos bonorum operum fructus. Quarto, quidam fructus sunt *interni*, quidam *externi*. Sicut palmites non solum interiùs vitali succo abundant, sed etiam exterius dulcissimos fructus producant: sic Apostoli copiosum fructum protulerunt, tum interiùs in se, tum exterius, erga alios quos verbo & exemplo edificarunt. Quintò, quidam fructus sunt quasi *positivi*, utpote quod pii in vocatione sua salutare labores perficiunt, quod contra Satanam, mundum & carnem viriliter pugnant, quod omnis generis officiis suam erga proximum dilectionem testatâ reddunt &c. quidam verò sunt quasi *privativi*, utpote quod *abstinent à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*, 1. Petr. 2. v. 11. quod *desideria carnis non perficiunt*, Galat. 5. v. 16. quod *non diligunt mundum, nec ea quæ sunt in mundo, videlicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ*, 1. Joh. 2. v. 15. 16. &c. Hæc variorum fructuum diversitas ostendit verissimè à Christo dictum esse: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*, ac nullos ex his fructibus ita proferri posse, ut sint Deo grati ac nobis ipsis salutare, nisi in Christo verâ fide maneamus. 3. Quòd Christus & comminatione sterilitatis & promissione fecunditatis in bonis operibus nos invitare & impellere voluerit, ut in se constanter maneamus. Quando enim dicit: *Sicut palmes non potest fructum ferre*

ferre à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis; tunc sterilitatis comminatione nos deterret, ne ex vite nosmetipsos separemus, alioqui futurum prædicit, ut instar palmites à vite resecti nec germinemus nec fructificemus. Quando verò dicit: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*, tunc fecunditatis in bonis operibus promissione nos invitat, ut in se verà vite constanter maneamus, sic enim futurum promittit, ut instar palmitis in vite manentis suavissimos fructus proferamus. Hoc iterum arguit animum salutis nostræ cupidissimum.

Circa priorem minoris propositionis partem, quæ negativa est, in specie notandum: 1. quomodo *ἡ ἀποδοχὴ τοῦ καρπῆς, ἀπὸ τῆς ἐλάτης, ἀπὸ τῆς ἀμειψίτης*, rectè sit explicandus. Quando Christus in *παραβολῇ* similitudinis dicit: *Palmitem non posse fructum à semetipso proferre, nisi manserit in vite*, nequaquam vult significare, quòd palmes quidem si non manserit in vite, à se fructum ferre nequeat, interim tamen si in vite manserit, à se fructum ferre possit, siquidem etiam cum in vite manet, à se fructum proferre nequit, sed sensus est, quòd palmes à semetipso, id est, sine vite, non manens in vite, resectus à vite fructum proferre nequeat. Quidam ergo voculam *ἀπὸ τῆς ἐλάτης* exponunt hoc modo, *ex suo corpore, ex sua substantia*, sicut etiam Tremellius Syriacum: *מִן הַצֵּמָה*, exponit *ἡ ἀποδοχὴ, ex substantia sua, ex corpore suo*. Sed quia negari nequit, palmitem viti adhaerentem in se habere virtutem fructificandi, non tamen à se, sed à viti communicatam: idèò clarior erit sensus, si dicamus, *τὸ ἀπὸ τῆς ἐλάτης, idem significare, quòd à se vel sine vite*. Quamvis enim palmes in vite manens ex se & sua substantia fructum ferat, quia hoc illi, utpote unius cum vite naturæ, est naturale: tamen à se & sine vite non profert fructum, quia viti tanquam origini ac principio hoc iunctè debet, quòd fructum ferat, quippe, à qua virtutem proferendi fructum sibi communicatam accepit. Quamvis etiam palmes in vite manens per se ferat fructum (si vocula *per se* opponatur *τὸ κατὰ συμβεβηκός*) naturale enim ac perpetuum, non autem accidentarium est palmiti in vite manenti, ut fructum ferat: tamen per se, id est, à se & sine vite, sive resectus à vite, non profert fructum (si vocula *per se* opponatur *τὸ κατὰ ἀλλο*) quia per virtutem ab alio, videlicet à vite sibi communicatam fructum profert. Dicendum ergo, vel quòd vocula *ἐὰν μὴ* ponatur pro adversativa *sed*, cuius significationis exempla occurrunt, Gen. 24, 38. 2. Reg. 5, 17. Matt. 12, 4. Luc. 4, 27. Joh. 5, 19. Gal. 2, 16. &c. vel quòd posterius membrum sit *ἐξηγησικόν* prioris, hoc modo: *Palmes non potest ferre fructum à semetipso, id est, si non manserit in vite vel sine vite, tali quadam vi & virtute, quam non accipiat aliunde, videlicet à vite, quo sensu etiam Christus negat, se quicquam facere ἀπὸ τῆς ἐλάτης, Joh. 5, 19. & 30. nimirum, quia virtutem divinam, quæ operatur secundum Deitatem essentialiter, quidem sibi habet propriam, interim per æternam generationem à Patre sibi communicatam; secundum humanitatem verò eandem per unionem hypostaticam sibi personaliter communicatam habet. 2. Quòd in *ἀποδοχῇ* similitudinis ex *παραβολῇ* complenda sit sententia, sic nec vos scilicet fructum à vobismetipsis ferre poteritis, nisi manseritis in vite, id est, non poteritis fructus Spiritus Deo gratos proferre; non poteritis in studio pietatis*

quidquam præstare; non poteritis in vestra vocatione quicquam salutare efficere; non poteritis in tentationibus peccati, Satanae & mortis, in persecutionibus & odiis mundi subsistere; non poteritis suggestionibus carnis resistere, & ut verbo omnia complectar, non poteritis quicquam boni facere, nisi in me manseritis. Ego enim sum vitis, humore gratiæ & rore Spiritus sancti vos rigans, nutriens, fertiles reddens; Ego communico vobis virtutem fructificandi; Ego sum unicus fons omnis boni &c. Colligitur ergò ex hac negativa minoris propositionis parte, 1. Quòd ut palmitis sine vite & extra vitem nullus fructus, nullus usus; ita & hominum extra Christum per naturam omnes sunt infrugiferi palmites, *uvæ eorum uvæ fellis & botri amarissimi*, Deut. 32, 32. nisi ergo Christo inserantur, & in ipso maneant, fructus spiritualiter bonos & Deo gratos proferre nequeunt. Quòd si igitur opera spiritualiter bona ac Deo grata proferre cupimus, primò omnium requiritur, ut in Christo simus, & in ipso maneamus. Verbum *manendi* hic est valde emphaticum. Significat enim non sufficere ad fructificationem, ut olim fuerimus Christo insiti, sed requiri, ut in gratia & fide perseveremus, inque vite, cui semel insiti sumus, maneamus. 2. Ex quo immotè concluditur, *bona opera non præcedere hominem iustificandum, sed sequi iustificatum*, Augustinus de fide & operibus cap. 14. *Ac nulla esse bona opera, nisi quæ sequuntur præcedente fide*. Idem in Psalm. 67. Ut palmes sylvestris non profert dulcem & salutarem fructum, nisi prius viti inseratur; ita cum omnes homines per naturam sint steriles & infrugiferi palmites, idèò non possunt ferre fructus operum spiritualiter bonorum ac Deo gratorum, nisi prius per fidem Christo inserantur. 3. Ex hoc fundamentum pii Veteres rectè docuerunt, *omnem vitam infidelium esse peccatum, virtutes Gentilium non esse verè bona opera, sed tanquam simulachra bonorum operum &c.* Matth. 7. vers. 18. Roman. 14. vers. 23. Tit. 1. v. 15. Hebr. 11. vers. 6. quis enim ab oleastra sperandus est salutaris fructus? quid boni à palmitè extra vitem expectari potest? Augustinus lib. 5. de Civ. Dei cap. 19. *Illud consistit inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu veram posse habere virtutem*. Lib. 19. de Civ. Dei. c. 25. *Virtutes, quas animus habere videtur, per quas imperat corpori & vitis ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retuleris, etiam ipsa vitia potius sunt quam virtutes*. Prosp. lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 3. *Absq; veri Dei cultu que videntur virtutes esse, peccata sunt, nec placere Deo sine Deo ullus potest. Qui verò Deo non placet, cui, nisi sibi & diabolo, placet? Idem sentent. 106. Optima infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum nisi à summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus*. Bernhardus serm. 22. in Cantic. *Quid vobis Philosophis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Serm. 4. in Ascens. Quicquid sine fide presumitur, nulla est animi solida virtus, sed ventosa quaedam inflatio & tumor inanis*. 4. Opponenda igitur hæc Christi sententia Judæis, qui in Mose sperabant, Johan. 5. v. 45. ac per Legis opera sine fide in Christum facta se Deo placere, & salutem consequi posse confidebant; Pelagianis, qui vires liberi arbitrii nimio opere extollabant; Pontificiis, qui negant, omnem infidelium vi-

tam esse peccatum. Concil. Trident. sess. 6. can. 7. Censur. Colon. contra Monheim. Bellarmin. lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 9. Salmeron. tom. 15. p. 41. quique vires liberi arbitrii in merito congrui & operibus ad justificationem preparatoris, uti etiam in ipso conversionis actu efficaces agnoscunt, ac in genere omnibus, qui sanioribus Gentilibus fide in Christum destitutis salutem tribuunt. 5. Quia non possumus fructum ferre, nisi in Christo vera vite simus & manserimus: ergo grato corde agnoscamus omnem vim & virtutem spiritualiter fructificandi ab ipso ad nos unice descendere, nec quidquam boni nobis, sed omnia in solidum ipsi tribuamus. Prosper. ad Demetriad. *Nonne convincitur palmas elatus, quod omni fertilitate vacuatur, si vitis ubertate non alitur? quis enim sine auxilio gratie fructum ferre potest justitie? aut quis audeat dicere, se à Christo non dividi, qui Christum in se distinetur operari?* 6. Denique, quia non possumus fructum ferre, nisi in Christo maneamus, ergo sollicitè caveamus, ne à Christo vera vite & mystico ipsius corpore per incredulitatem, apostasiam, & peccata contra conscientiam separemur. Palmas à vite resectus speciem quidem palmitis habet, sed vitali succo destitutus nullum potest proferre fructum: sic qui à Christo & Ecclesia sese separant, videntur quidem opera ad speciem bona proferre, sed cum vitâ spirituali destituti sint, ideo reverà non proferunt fructus bonos Deoque gratos. Culpa hujus rei non tribuenda viti Christo, sed ipsis hominibus. Quemadmodum enim vitis omnibus in se palmitibus succum transfundit, non tamen omnes eum retinent, nec omnes fructum ferant, unde multi palmitis excinduntur: sic Christus, cœlestis vitis, omnibus hominibus gratiam & beneficia sua offert, non tamen omnes eam recipiunt, & qui eam receperunt, non omnes acceptam servant, unde etiam fructu & salute, propriâ culpâ privantur.

Circa posteriorem minoris propositionis partem, quæ affirmativa est, notandum 1. quod Christus non amplius in secunda persona cum Apostolis loquatur, sed in tertia persona indefinite dicat: *Qui manet in me &c.* Sicut prius in ipsa comparatione generaliter dixerat: *Omnes palmitem in me ferentem fructum, Pater meus purgabit, ut fructum copiosorem afferat:* ita hoc loco in argumento exhortationis ex comparatione deductâ indefinite loquitur: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum.* Eo ipso ostendit, exhortationem ex comparatione deductam non pertinere ad solos Apostolos, sed ad omnes credentes, seque loqui cum Apostolis, non quâ talibus, sed quâ credentibus. Quam latè enim patet exhortationis argumentum, tam latè quoque patet ipsa exhortatio. Proinde etiam reliqua ad Apostolos hic dicta sic accipienda sunt, quod ad omnes verè in Christum credentes pertineant, ut sit sensus: Omnes verè credentes esse mundos propter sermonem CHRISTI; omnes verè credentes esse palmitis; omnes credentes moneri, ut in Christo maneat; cum omnibus credentibus ita comparatū esse, ut non possint ferre fructum à semetipsis, nisi manserint in vera vite Christo. 2. Quod in phrasi *Ego in eo*, sit idiotismus Hebraicus. Ponitur enim pro *E in quo Ego*, scil. maneo. Exod. 18. 20. Job. 33. & 15. Pl. 11. 4. &c. 3. Quod membrum posterius, *& Ego in eo*, non propterea ad-

datur priori, qui manet in me, quasi hæc duo possint à se invicem separari, hoc est, quasi juxta anteriorem & spiritualem unionem possit aliquis esse & manere in Christo, in quo tamen Christus non sit nec maneat, quia in omnibus, quotquot Christo verâ & vivâ fide insiti sunt, & in ipso manent, etiam Christus manet: sed ut ostendatur primò hæc duo esse invicem arctissime connexa, & sese mutuo consequentia. Qui sunt in Christo, & manent in eo per insitionem, in illis est & manet Christus per gratiosam inhabitationem. Secundò, aliâ ratione nos manere in Christo, & vicissim aliâ Christum manere in nobis. Nam ut superius docuimus, nos manemus in Christo per veram fidem, quæ efficax est per dilectionem: Christus in nobis manet per vitæ spiritualis communicationem, per Spiritus sancti donationem, per specialem dilectionem &c. nos manemus in Christo *ἀγαπῶντες*, Christus in nobis manet *δοξῶντες*; nos manemus in ipso recipiendo, ipse in nobis manet conferendo. Proinde etiam tertio hoc membrum ideo subjungitur, ut declaretur fructificationis illius, de qua in prædicato agitur, origo atque causa. Non enim palmas ideo fert fructum, quia manet in vite, sed quia vitis manet in palmitibus, qui succum vitalem & fructificandi vim ipsi tribuit: ita quoque proprie & accuratè loquendo non ideo proferimus bonorum operum fructus, quia manemus in Christo, sed quia Christus in nobis manet. Quod Maldonatus dicit: *Christum ideo hoc addere, & Ego in eo, ut ostendat, quod non omnibus det vitam, qui in se manent per fidem, nisi in ipso etiam maneant per caritatem*, illud sic explicandum: Christus non dat omnibus gratiam, vitam & fructificandi copiam, qui in ipso manent per nudam fidei professionem, per fidem historicam, juxta externam in visibili Ecclesia communionem: sed illis tantum, qui in ipso sunt, & manent per fiducialem fidei apprehensionem, per fidem veram & vivam caritate & bonis operibus sese demonstrantem, juxta interiorem & mysticam communionem. 4. Quod pronomen relativum *ἐν ἐμοί*, emphaticè addatur. Potuisset Christus simpliciter dicere: *Qui manet in me, & Ego in eo, fert fructum multum*, sed majoris efficaciam & emphaseos causâ addit, *ἐν ἐμοί*, ille fert fructum multum. Syrus itidem expressit hanc voculam *בְּיָדִי*, ille fert fructus plurimos. Ponitur autem hæc vocula hoc loco exclusivè, qui in me manet, & Ego in eo, ille solus & nullus alius fructificat, quæ explicatio colligitur ex versu proximè præcedente: *Sicut palmas non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Nequaquam igitur judicandum, quod per epanalepsin quandam *ἀθανάτων* antecedentis hoc pronomen in prædicato adjiciatur. 5. Quid per *τὸ φέρει καρπὸν*, quod Græci aliâ voce dicunt *καρποφορεῖν*, hoc loco sit intelligendum? Maldonatus dicit: *Fructum ferre multum, esse idem, quod merevi vitam æternam, quo nullus uberior, & copiosior potest esse fructus.* Sanè non negamus, inter fructus manentibus in Christo promissos etiam præmia vitæ æternæ esse numeranda: sed negamus, ea sola fructus nomine hic intelligi, cum primis verò negamus, manentibus in Christo ex merito vitam æternam dari. Quando enim Christus dicit: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*, tum intelligit varios illos ac multiplices fructus, quos paulò

antè

antè enumeravimus, videlicet quod spiritualis pal-  
mes in vite Christo manens, & in quo vitis manet,  
sit consecutus remissionem peccatorum, adoptio-  
nem filiorum Dei, donationem Spiritus sancti &c.  
in hac vita; & aeternam glorificationem, in futura  
vita; quod praesentiam, consolationem, auxilium &  
robur in adversis, successum in laboribus, vocationis,  
conservationem in hora tentationis &c. sit exper-  
turus, quod omnis ipsius labor futurus sit salutaris,  
ac ipsa etiam adversa ei in bonum sint cooperatu-  
ra, quod fructus maturos prudentiae & caritatis, dulces  
misericordiae & benignitatis, longos perseverantiae &  
fidelitatis, odoratos honestae famae, & probatos per so-  
lem tentationis sit producturus, & qui sunt hujus  
generis fructus alii in certas classes superioris distin-  
cti. Sed hi fructus omnes & singuli ita comparati  
sunt, ut non sint operum nostrorum vel nostrae in-  
dustriae merita, sed gratuita divinae misericordiae mu-  
nera. Quemadmodum enim sementem non est causa  
meritoria messis, sed Dei benedictione gratuita il-  
lam hac consequitur: ita quoque bona reatorum o-  
pera non sunt meritoria vitae aeternae ac praemio-  
rum caelestium, sed Dei benedictione gratuita ad  
illa hac consequuntur. Proinde non meritum nec  
causa, sed duntaxat ordo & sequela respicitur, quan-  
do praemia manentibus in Christo promissa fructus  
appellatur. Quemadmodum sementem, quae in-  
terdum in tempestate & pluviis satis tristis est, gra-  
tuita Dei benedictione sequitur messis latissima:  
ita pii in hac vita seminant in lacrymis, sed aliquando  
metent in exultatione. Eunt enim & plorant, portant  
preciosum semen, venientes autem venient cum exultatione,  
portantes manipulos suos, Pl. 126. v. 5. & 6. &c. 6. De-  
nique quod Christus non simpliciter dicat: Qui ma-  
net in me, & Ego in eo, hic fert fructum, sed addat,  
hic fert fructum multum. Promissio haec est largissi-  
ma, quod non unus, sed varii generis; nec tenues &  
exiles, sed copiosos, adeoque & multos & magnos  
fructus allaturi sint, qui in Christo manent, & in  
quibus Christus manet. Colligitur ergo ex his ver-  
bis 1. quod gratia Spiritus sancti credentibus in  
Christum, & in ipso manentibus data non sint aeq-  
ua & otiosa, sed efficax & operosa ad omnis gene-  
ris salutare fructus proferendos. Increduli & im-  
penitentes gratia Spiritus sancti destituti, & a man-  
sione in Christo alieni sunt ἀναστοι, Tit. 3. v. 14. quasi  
lignum infructuosum, Job. 24. 20. ἀνεργα φθωρα νεκρῶν,  
ἀνεργα, δις ἀποθανόντα, Epist. Jud. v. 12. & eorum  
opera sunt infructuosa opera tenebrarum, Eph. 5. v. 11.  
sed credentes veram fide Christo insiti, & in ipso ma-  
nentes sunt fructuosae & fertiles arbores, Pl. 1. v. 3.  
Pl. 51. v. 10. Pl. 92. v. 13. Jerem. 17. v. 8. &c. in-  
terim omnis illa fructificatio à rore & humore  
gratiae, quem Christus in eis manens ipsis suppe-  
ditat, unice descendit. Osee 14. v. 6. Ero quasi ros  
Israel, florebit ut rosa, & erumpet radix ejus, ut Libani.  
vers. 7. Ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus,  
& odor ejus, ut Libani. 2. Quemadmodum verò  
qualibet arbor fert fructus sui generis, neque e-  
nim de spinis uva, nec de tribulis ficus colliguntur,  
Matth. 7. v. 16. ita quoque fructus, quos manentes  
in Christo proferunt, sunt doctrinae, vitae & Spiritui  
Christi conformes. In quibus vetus Adam sive  
caro adhuc regnat, illi proferunt fructus Adamicos,  
opera scilicet carnis, Galat. 5. v. 19. & seqq. enumera-  
ta. Sed in quibus Spiritus regnat, illi proferunt fru-  
Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

ctus Spiritus, v. 22. & 23. recensitos. Qui reguntur  
spiritu mundi, 1. Cor. 2. v. 12. illi proferunt fructus  
mundanos, & conformant se huic mundo, Rom. 12. v. 2.  
sed qui reguntur Spiritu Christi, 1. Cor. 2. v. 16. illi pro-  
ferunt fructus Spiritui Christi conformes, ambulante  
sicut ipse ambulavit, 1. Joh. 2. v. 6. idem affectus est in  
ipsis, qui fuit in Christo, Phil. 2. v. 8. ac proinde sunt  
mites, humiles, patientes, praediti sinceram carita-  
te &c. Quemadmodum etiam pater familias à pal-  
mitibus non requirit ficus, dactylos, poma &c. sed  
uvae ex vitis siveo prognatas: ita quoque caelestis  
pater familias à spiritualibus palmitibus non requi-  
rit fructus operum in verbo minimè praescripto-  
rum, sed illos duntaxat fructus, qui sunt Spiritui &  
doctrinae Christi conformes, hoc est, quod Spiritus  
Christi mediante Verbo in illis operatur. De fru-  
ctibus bona intentione sine norma Verbi factis di-  
cit, Esa. 1. v. 12. Quis requisivit haec de manibus vestris?  
3. Quia salutare ejusmodi fructus nullus produ-  
cere potest, nisi qui Spiritum Christi habet; ac vic-  
tissim, quia nullus Spiritum Christi habet, nisi in  
Christo sit & maneat: ideo ante omnia cura nobis  
esse debet, ut Christo per fidem inseramur, ac se-  
mel insiti, in ipso constanter maneamus; magni æ-  
stimemus beneficia à Christo accepta, quae enim  
magni aestimantur, illa diligenter custodiuntur; ca-  
veamus ne à gratia excidamus, & à Christo separe-  
mur; prolapsi in peccata, curemus denuò ipsi inse-  
ri, Rom. 11. v. 23. 4. Neque solum admonitio-  
nem haec Christi verba nobis exhibent, sed etiam  
suavissimam consolationem, quod labores, quos in  
praedicatione & propagatione Evangelii, in mune-  
ribus nostrae vocationis, in toto pietatis studio  
atque stadio sustinemus, non sint futuri irriti ac va-  
cui, sed fructum copiosorem allaturi, cujus consi-  
deratione & intuitu forti animo eosdem tolerare  
possumus ac debemus. 5. Quemadmodum pal-  
mites in vite manentes, multos quidem proferunt  
fructus, interim tamen fructus illi non conferunt  
ipsis vitam, quippe quam unice à vite accipiunt, sed  
tantum de vitae communicatione sibi facta testan-  
tur: ita fructus bonorum operum, quos pii in Chri-  
sto manentes proferunt, non conferunt ipsis vitam  
spiritualem & aeternam, quippe quam ex sola Christi  
vera vitis benignitate accipiunt, sed tantum de ea  
testimonium ferunt, quod scilicet veram & vivam fide  
Christo sint insiti, ac spiritualis vitae per ipsum par-  
ticipes facti. Quemadmodum fructus palmitum  
agricolam exhilarant, & usibus hominum infer-  
viunt: ita bonorum operum fructus Deo sunt gra-  
ti & hominibus salutare. Quemadmodum gloria  
fertilitatis viti unice adscribitur: ita quoque glo-  
ria bonorum operum unice Christo & caelesti a-  
gricolae tribuenda, Matth. 5. v. 16. 6. Denique  
quia Christus dicit: Qui in me manet, & Ego in eo, hic  
fert fructum multum, ergo non contenti sumus ali-  
quem duntaxat fructum proferre, & in studio pie-  
tatis incipere, sed quotidie in eo debemus pro-  
gredi, & multos fructus ferre. Quando novelli  
palmites exiguum ferunt fructum, contentus est  
agricola, & laborem suum spe majoris fertilitatis  
secuturae solatur: sed à veteranis palmitibus pro-  
pter diuturniorem curam & culturam copiosio-  
res fructus requirit: sic ab illis, qui in Christia-  
nismo sunt νεοφυτοι, caelestis agricola non statim  
requirit copiosos fructus, sed à nobis, in quibus  
jam

jam per annos complures laboravit, multos & uberes requirit fructus.

Tandem repetit Christum prioris membri negativam, quia sine me nihil potestis facere. Quibusdam videtur hoc loco aliquid desiderari, cum isthæc ἀπολογία non satis congruat proximè præcedentibus. Dixerat Christus: *Qui in me manet, & Ego in eo, hic fert fructum multum*: videtur igitur, rationis loco potius addendum habetur, quia in me ac per me plurima potestis facere, quàm quod additum habetur, quia sine me nihil potestis facere, illud enim magis videtur rationem exprimere prioris membri, quod non possint ferre fructum nisi manserint in Christo. Existimant igitur, hic subintelligendam esse antithesin, secus verò accidet, si quis in me non manserit, cui jam congruenter subiungi potest, quia sine me nihil potestis facere. Sed nullâ cogimur necessitate, ut sententiæ cujusdam ellipsis hoc loco agnoscamus. Nam si vel maximè nullam aliam connexionis rationem adducere possemus, tamen haud absurdè dici posset, ἀπολογίαν hanc non ad propinquius, videlicet ad posterius affirmativum, sed ad remotius, videlicet ad prius membrum negativum respectum habere, hoc modo: *Sicut palmes non potest ferre fructus nisi maneat in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere*. Usitatum enim est in Scripturis, ejusmodi sententias & ἀπολογίας non semper ad propinquius, sed quandoque ad remotius membrum referri, quod in pronomibus relativis frequens: Exod. 34. v. 29. Num. 25. vers. 4. 1. Sam. 13. vers. 37. 2. Sam. 20. v. 6. Act. 4. v. 11. cap. 7. v. 19. 2. Thess. 2. vers. 9. 1. Joh. 2. v. 22. Sed possunt insuper etiam aliæ connexionis rationes dari. Quidam putant contineri in his verbis responsionem ad tacitam objectionem. Potuissent Apostoli querere: *Quare debemus in te manere?* respondet Christus: *Quia sine me nihil potestis facere*. Quidam putant novum exhortationis argumentum in his verbis contineri: *Sine me nihil potestis facere*. Ergo in me manere debetis: Sed Christus hoc jam antè dixerat: *Non poteritis fructum ferre, nisi in me manseritis*. Quidam putant, Christum voluisse rationem assignare, quare se vite dixerit, Apostolos verò palmes, nimirum quia ut palmes sine vite nihil possunt facere, ita nec credentes sine Christo. Simplicissima connexionis ratio petitur ex eo, quod, ut superius monuimus, vocula οὐτὶς sit exclusiva, cui hæc ἀπολογία optimâ serie subiicitur: *Qui in me manet, & Ego in eo, hic solus fert fructum multum, & nullus alius, quàm qui in me manet, & Ego in eo, potest ferre fructum, quia sine me nihil potestis facere*. Quamvis enim Christus in priore membro negativo, in versu scilicet proximè præcedente, illud ipsum jam antè dixerat, tamen non sine causa negativam illam denudò repetere & Apostolis inculcare voluit, quia negativa longè efficacius & evidentius exprimit ἀδυναμίαν extra Christum, & sine Christo bonum operandi ex naturæ corruptione ortam, & in omnes homines propagatam; quàm affirmativa. *χωρὶς ἐμῆς*, vulgata versio reddidit, *sine me*, quod Erasmus etiam retinuit. Bellarmin. lib. 5. de grat. & lib. arbit. cap. 17. scribit: *Probari hoc dicto liberum arbitrium egerere gratia Dei, hoc est, ut alibi mentem suam exponit: sine gratia adjuvante nihil posse, interim tamen unâ cum gratia vel adjutum à gratia etiam in spiritali-*

*bus ex se, & naturalibus suis viribus aliquid posse, ut sit sensus: Sine me nihil potestis, sed meâ gratiâ adjuvantiâ ex naturalibus liberi arbitrii viribus aliquid potestis*. Respondet. 1. Augustinus contra Pelagianos disputans planè contrario modo procedit, ac emphasis hujus dicti urgens ex eo demonstrat, nullas planè esse naturales liberi arbitrii vires in spiritalibus, lib. 2. cont. duas Epist. Pelag. cap. 8. Dominus, ut responderet futuro Pelagio, non ait, *sine me difficile aliquid potestis facere, sed ait: sine me nihil potestis facere*. Et ut responderet futuris etiam istis in eadem ipsa Evangelica sententiâ, non ait, *sine me nihil potestis perficere, sed facere*. Nam si perficere dixisset, posset isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adiutorium necessarium &c. Dominus cum ait: *Sine me nihil potestis facere, hoc uno verbo initium finemq; comprehendit*. Concilium Milevitanum, cui Augustinus interfuit, can. 5. eandem emphasisin urget: *Placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius implere possimus per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit*. De fructibus enim divinorum mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: *Sine me difficilius potestis facere: sed ait, sine me nihil potestis facere*. 2. Quid sit *χωρὶς ἐμῆς*, omnium rectissimè intelligitur ex versu præcedente 4. cujus sententiâ in his verbis Christus repetit: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*. Ergo *χωρὶς ἐμῆς* est idem, quod *χωρὶς ἐμοῦ*, separati à me, scorsim à me, non manentes in me. Sicut palmes non manens in vite, sed ab ea separatus, nihil fructuum proferre potest; ita & vos non manentes in me, sed à me separati nihil potestis facere. Eadem explicatio colligitur ex verbis proximè præcedentibus in hoc ipso versiculo: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*. Ubi manifestum est, opponi invicem hæc duo, manere in Christo, & esse sine Christo, ac proinde idem denotant per phrasin sine me, & nisi manseritis in me. Syrus reddidit: *Si non ego, vel nisi ego sim, non potestis quicquam facere*. 3. Quod si vel maximè versionem illam, *sine me nihil potestis facere* (utpote communiter receptam) retinere velimus, ex ea tamen minimè inferri potest, gratiam Christi & vires liberi arbitrii in actu conversionis esse *προαίτια*: sed phrasis illa ponitur negativè & exclusivè sensu eo, quod sine Christo, & extra Christum non solum non satis firmas & sufficientes, sed nullas prorsus ad boni aliquid cogitandum, quantò minus ad boni aliquid faciendum vires naturales habeamus; juxta infallibilem Apostoli interpretationem, 2. Cor. 3. vers. 5. propositio illa, *sine me nihil potestis facere*, non est similis illi: *Sine baculo senex non potest ambulare* (in ea enim præsupponitur, quod senex vim ambulandi habeat, sed tamen absque baculi adiutorio eam exerere nequeat) sed est similis illi: *Corpus sine anima non potest ambulare* (eius enim sensus est, quod corpus vim ambulandi ab anima unicè accipiat, & absque ea ambulare nullo modo possit) ut & illi Johannæ: *Sine τῷ λόγῳ nihil factum est*, Johann. 1. vers. 3. 4. Quamvis enim pii per fidem Christo insiti in producendis bonorum operum fructi-

fructibus sint *ὅτι ὄντες ἄνθρωποι*, 1. Cor. 3. 9. perinde ut palmites in vite manentes unā cum vite in profereendis fructibus agunt: tamen ut palmites virtutem illam fructificandi non habent à semetipsis sed à vite: ita quoque pii vires illas, quibus in bonis operibus *ὄντες ἄνθρωποι* non habent à natura, sed à vera vite Christo, & à Dei gratia, proinde non agunt naturalibus, sed novis à Spiritu sancto donatis viribus. Quemadmodum etiam palmites ad illud, ut viti inferantur, vel ex ea generentur, nihil planè conferunt: ita quoque ad illud, ut in primo conversionis actu credentes Christo fuerint insiti, & spiritualiter ex eo nati, nihil planè ex naturalibus suis viribus conferre possunt. Quare perpetuè & immotè veritatis est pronunciatum isthoc Christi: *Sine me nihil potestis facere*, sive de hominibus in actu conversionis, sive de renatis & conversis in studio bonorum operum occupatis (de quibus propriè & principaliter Christus hic loquitur) accipiatur. Ut autem phrasim *sine me* omnium rectissimè ex præcedentibus explicatur: ita quoque alterum membrum, *nihil potestis facere*, itidem ex præcedentibus explicandum, scilicet quod nihil facere posse sit idem, quod *nullum fructum ferre posse*, præcedit enim: *Sicut palmès non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos*, scilicet fructum ferre potestis, nisi in me manseritis. *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*, hoc est, nihil boni, nihil eorum, quæ fieri à vobis debent, quæ sint Deo grata. Unde Theophylactus rectè monet, illud *ὅθεν* accipiendum esse *κατὰ τὸ ἰσχυρισμὸν*, secundum subjectam materiam, de fructibus, quales expectantur à palmitibus Christo verè viti insitis, quò pertinent regulæ Theologicæ, quod simpliciter dicta interdum secundum quod sint intelligenda: Psalm. 14. vers. 1. Proverb. 26. v. 4. Matth. 6. v. 34. 1. Corinth. 3. v. 7. 1. Timoth. 1. v. 9. Item, quod universalis negativa quandoque tantum particulariter neget. Exod. 20. v. 10. Jerem. 8. v. 6. Matth. 9. v. 16. Joh. 3. v. 32. cap. 7. v. 13. 1. Cor. 2. v. 8. 2. Cor. 7. v. 5. &c. Posset quidem vocula *ὅθεν* pro absolute universalis accipi, si respectus habeatur ad generalem influentiam & concursum *causæ primæ* (quæ est Deus Pater, Filius ac Spiritus sanctus) absque quo generali causæ primæ concursu causæ secundæ, ac proinde etiam homines nihil quicquam facere possunt, sive sit actio naturalis, sive civilis, sive moralis, sive spiritualis &c. ac si cogitetur, quod peccare potius sit deficere quam aliquid facere, ac proinde propriè & accuratè loquendo non habeat causam efficientem, sed potius deficientem. At Christus hic non loquitur de generali illo primæ causæ ad secundarum activitatem concursu, nec de actionibus hominum naturalibus, civilibus ac moralibus, sed de speciali illo divinæ gratiæ concursu, qui in spiritualibus actionibus requiritur, quod scilicet non possimus fructus spiritualiter bonos & Deo gratos palmitibus spiritualibus proprios proferre, nisi in ipso tanquam vera vite maneamus, & vim fructificandi ab ipso percipiamus. Jam verò, ut superius ostendimus, Christus se viti comparat ratione officii sui Mediatorii, quod ipsi secundum utramque naturam competit, juxta quod specialis ille ad opera spiritualiter bona producenda concursus ac influenza ab ipso in nos descendit. Sic ut absque concursu & auxilio Dei generali ac na-

turali non possumus opera naturalia efficere: ita absque concursu & auxilio Christi Mediatoris speciali ac supernaturali non possumus opera spiritualia, supernaturalia & cœlestia efficere. Expendenda verò singulorum verborum, quibus Christus ad hoc inculcandum utitur, momenta ac pondera. Non dicit: Ego sine vobis nihil possum facere, quia ut in operibus naturalibus causæ secundæ in agendo dependent à prima, sed non vice versa, causa prima in agendo dependet à secundis, verum defectum causarum secundarum facile supplere potest: ita quoque in operibus spiritualibus & supernaturalibus vis agendi, quam palmites habent, & per eam fructificant, dependet à vite Christo tanquam causa prima, sed vis agendi, quam Christus palmitibus suppeditat, nequaquam dependet à palmitibus. Potuisset Christus immediatè vim agendi in conversione Gentium (qui fuit in fructus Apostolorum) exerere, vel Angelorum potius quam Apostolorum operà eam ad rem uti, ideoque virtus ejus non fuit ad Apostolorum ministerium simpliciter astricta. Posset Christus adhuc hodie opera spiritualia sine nobis producere, sed nos sine ipso nihil facere possumus. Atque hac in parte discrimen aliquod inter vitem ac palmites naturales, & inter vitem ac palmites spirituales animadvertitur. Vitis naturaliter non producit fructus nisi per palmites & in palmitibus: sed Christus, cœlestis illa vitis, etiam sine nobis salutare fructus proferre potest. De palmitibus quidam scribunt, quod à vite resecti, & ulmo insiti nativam vim fructificandi retineant, & uvas proferant: sed palmites spirituales nullum proferre possunt fructum, nisi Christo verè viti insiti maneant. In eo verò est optima convenientia, quod ut vitis, si vel maximè palmites amputentur, ex se alios palmites producere possit: ita Christus viti discipulos sibi acquirere possit, si vel maximè priores deficient. Augustinus, tractat. 81. in Joh. *Præcisio palmitis potest de viva radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere*. Item, quod ut palmites vim fructificandi à vite, ita pii virtutem proferendi bonorum operum fructus à Christo unice accipiant. Nec dicit Christus, *sine me parum potestis*, nec dicit, *sine me difficulter potestis aliquid facere*, sed *sine me nihil potestis facere*. Nec dicit, *sine me nihil facturi estis*, sed *sine me nihil potestis facere*, quod non solum actum, sed etiam agendi potentiam excludit, ac proinde majorem habet emphasin. Nec simpliciter dicit, *nihil facturi estis*, quia paulò post inquit: *Ego posui vos, ut eatis, & fructum feratis, & fructus vestri maneant*, sed dixit: *Sine me nihil potestis facere*. Palmites à seipso & sine vite nihil, sed ex vite plurimum ferunt fructum: sic credentes à seipsis & sine Christo nihil facere possunt, sed in Christo multa, imò omnia possunt. Marc. 9. vers. 23. *Omnia possibilia credenti*. Philipp. 4. v. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat, CHRISTO*. Nec dicit, *sine me nihil potestis perficere*, sed *sine me nihil potestis facere*. Colligitur ergo ex his verbis 1. *ἀδυναμία* virium liberi arbitrii naturalium, in spiritualibus bonorum operum fructibus proferendis. Quia enim Christus dicit: *Sine me nihil potestis facere*. Ergo ne minimum quidem relinquat naturalibus liberi arbitrii viribus, sed expressè

testa-

testatur, quod ipse per Spiritum suum omne bonum in nobis operetur, quod nos ex nostris viribus naturalibus nihil quicquam efficere possimus, quod sine ejus præcedente & subsequente, operante & cooperante gratiâ, sine ipsius auxilio & præsidio ex nobis nihil planè possimus, quod, quicquid in nobis boni, divinæ gratiæ unicè acceptum ferre debeamus, Pf. 115. v. 1. Esa. 26. v. 12. 1. Cor. 15. 10. Augustin. tractat. 81. *Qui à semetipso se fructus existimat ferre, in vite non est, qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est.* Et postea: *Ne quicquam putaret, saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, hic fert fructum multum, non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Macarius, humil. 17. *Quemadmodum piscem absque aqua vitam ducere, aut absque pedibus quenquam progredi, aut absque oculis lumen intueri, aut absque lingua loqui, aut absque auribus audire, impossibile est: Sic quoque, absque Domino JESU & virtutis divinæ efficitur, non licet cognoscere mysteria ac sapientiam Dei, aut esse divitem (in Deo) & Christianum.* Concilium Araucanicum cap. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem ac justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sistere in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Dionysius Carthusianus in hunc locum: *Nemo sibi blandiatur vel in seipso gloriatur, cum nihil habeat boni in se, & hoc ipsum quod habet, nec ad momentum possit servare, nisi conservetur à Christo, cumque ipsa prima mentis conversio sit donum Dei & à Deo.* Johannes Ferus in hunc locum: *Nemo sapiens esse potest sine sapientia, nemo justus sine justitia, nemo verax sine veritate, nemo fortis sine fortitudine, nemo videt sine luce. Christus autem factus nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio &c.* Hoc ergo pronunciatum Christi opponendum est quibusvis liberi arbitrii assertoribus (quos Augustinus d. l. potius præcipitatores liberi arbitrii vocandos esse scribit) qui vel totum conversionis opus viribus liberi arbitrii tribuunt, vel inter gratiam divinam & vires humani arbitrii illud dividunt, Pelagianis scilicet, Semipelagianis, Pontificiis, Photinianis, Synergistis &c. Quamvis enim propriè & principaliter de renatis Christus hic loquatur, siquidem agit de palmitibus in vite, ipsa tamen sententia generalis est, & argumento à majori ad minus evidenter confirmari potest. Si ne ipsi quidem renati ex naturalibus liberi arbitrii viribus in bono spirituali quicquam possunt; quanto minus nonrenati ex naturalibus liberi arbitrii viribus in bono spirituali quicquam poterunt? Renati in bonis operibus sunt quidem Dei *συνεργοί*, sed agunt non naturalibus liberi arbitrii viribus, verum novis à Spiritu sancto donatis viribus, ut superius etiam monuimus. Pontificii hic adhibent aliquam limitationem, Bellarminus, lib. 5. de grat. & lib. arbitrii cap. 10. *Loquitur Dominus de his operibus, que ad salutem pertinent, de quibus paulò ante dixerat: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Idem repetit lib. 6. cap. 4. Maldonatus in hunc locum: *Sine me nihil potestis facere, scilicet meritorium & vitâ æternâ dignum.* Toletus in hunc locum distinguit inter opus frugiferum, quod ad vitam æternam refertur, ac simpliciter bonum, de priori, non autem de posteriori hic ser-

monem esse, statuens. Respondetur: in naturalibus civilibus, moralibus, & Ecclesiasticis externis actionibus aliquam arbitrii libertatem adhuc superesse, facile concedimus: sed ad spirituales actiones, & ad interiorem conversionem nullas in homine superesse vires asserimus, idque ex hoc oraculo Solis radiis scripto immotè probamus. Quia enim Christus simpliciter affirmat, *sine me nihil potestis facere*, idè non solum opera meritoria, sed etiam preparatoria ex nostris viribus nos facere posse negat, quod tam evidens est, ut Bellarminus ipse lib. 6. de grat. & lib. arbitrii cap. 5. fateatur: *Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. & lib. 2. cap. 8. ex hoc loco probare, quod non possit homo solis nature viribus ad gratiam recipiendam ullâ se ratione disponere, hoc est, quod non solum non possit homo suis viribus se preparare ad habitum gratiæ gratum facientis, sed neque ad gratiam adiutorii specialis, quodque non modò non possit ita se preparare, ut ex condigno illi gratia conferatur, sed neque ex congruo, ac demum quod nihil agere possit, cuius causâ Deus illi gratiam dare dicatur.* Sed & ipsa evidenter hoc docet. Quodnam enim opus bonum Deo gratum ab homine nondum renato ex naturalibus liberi arbitrii viribus sine fide in Christum fieri posset, cum impossibile sit DEO placere absq. fide? Hebr. 11. vers. 6. *Nemo ergo bene operatur, ut gratiam accipiat, sed quia gratiam prius accepit, idè postea bene operatur; nemo facit, hoc est, facere potest ac debet bona opera, ut iustificetur, sed quia jam iustificatus est, idè postea bona opera facit.* 2. Christus in eadem sententia dicit: *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum.* Et, *sine me nihil potestis facere.* Ergo doctrina de *ἀδυναμία* virium nostrarum in spiritualibus non tollit, nec labefactat bonorum operum studium, ut Pontificii nobis objicere consueverunt. 3. Distinctæ enim quæstiones sunt, an sint faciendâ bona opera, quod nemo nostrum negat, & quomodo fieri possint opera verè bona, ubi dicimus, nihil à Deo bonum reputari ac ratum & gratum haberi, quod non fit ex fide in Christum, hoc est, ex Spiritu Christi, qui est quasi vitalis succus, quem CHRISTUS vera vitis in palmites fide sibi infusus ex sua plenitudine diffundit, ut ad fructum bonorum operum proferendos idonei reddantur. 4. Stante hypothesi de *ἀδυναμία* virium nostrarum in spiritualibus corrumpunt operum merita, sive ex congruo, sive ex condigno meritoria dicantur. Quod si enim Christus per Spiritum suum bona opera in nobis ac per nos efficit, utique per illa & propter illa Deo potius obstricti sumus, quam quod per & propter illa Deus nobis obstringatur. Bernhardus, ferm. 1. de annunciat. *Merita omnia Dei dona sunt, & ita homo magis propter ista Deo debitor est; quam Deus homini.* Ludovicus Vives in commentario lib. 19. August. de civit. Dei cap. 23. *Nihil nos Deo damus, cum rectè vivimus, neque is se major aut beator sit, sed bene nobiscum agitur: ita non nobis debetur gratia, quod boni sumus, sed eam nos potius Deo debemus, cujus beneficio sumus boni.*

Tertium exhortationis argumentum desumitur à negata in Christo mansionis damnositate. *Si quis in me non manserit, ejectus est foras sicut palme, & ardui, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardet.* Hæc verba respiciunt, tum ad v. 2. ubi Christus dixit

dixerat: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollit: tunc ad v. 4. ubi dixerat: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis.* Quod enim generaliter & absolute dictum fuit v. 2. palmitem non ferentem fructum à cœlesti agricola tolli, illud in specie & latius hic declaratur, quod palmes non manens, nec fructificans in Christo, *ejectus sit foras & exaruerit; quodq; colligunt eum, & in ignem conijciunt, & ardet,* quæ v. 4. in v. 2. positum explicant. Cumque in v. 4. negatione fructus in non manentibus discipulos exhoratus fuisset, ut in se manerent, & verò carnali alicui homini parvi momenti videri posset, non manere in Christo, nec fructum ferre: idè jam exaggerat damna obventura illis, qui in se non manent, ut qui negatione fructus non permoventur, ut in Christo maneat, illi comminatione maiorum metuendorum illis, qui in CHRISTO non manent, nec fructificant, permoveantur. Dixerat paulò ante in v. 5. *Qui manet in me, & Ego in eos, hic fert fructum multum,* subjungendum jam videbatur *divi dicitur.* Ergò, qui non manet in me, vel si quis non manserit in me, nullum feret fructum. Sed quia hoc facillè posset in eum detorqueri sensum, quasi nihil quicquam mali metuendum illis foret, qui in Christo non manent, quàm quod steriles sint mansuri; quasi fructus negatio sit illud totum & omne, quod non manentibus in Christo metuendū, idè graphicè exaggerat, quanta malorum ilias eos maneat, qui in Christo manere renuunt. Persistit autem in similitudine initio propòsita, quippe quæ ad hunc scopum erat accommodatissima. Aliarum arborum rami abscinduntur ad alios potiùs usus, quàm ut igni alimentum præbeant, sed palmites à vite amputati, cum ob debilitatem ad instrumenta rustica, vel aliorum opificum accommodari non possint, ad nihil aliud valent, quàm ut igni deputentur. Ezech. 15. v. 2. & seqq. Augustinus tractat. 81. in Joh. *Ligna vitis præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmis congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit. Ut ergo in igne non sit, in vite sit.* Expendenda verò utraque pars comminatoriæ hujus propositionis. Antecedens hoc est, *si quis in me non manserit; consequens, ejectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardet.* Circa antecedens notandum, 1. quod Christus non in secunda, sed in tertia persona dicat: *Si quis in me non manserit.* In versu sequenti statim loquitur in secunda persona: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis;* sicut etiam in præcedentibus aliquoties in secunda persona Apostolos allocutus fuerat vers. 3. 4. & 5. hic verò non in secunda, sed in tertia persona loqui voluit, procul dubio, ut significaret, separato jam proditore Juda ex Apostolorum Collegio, neminem eorum ampliùs pœnas in hoc versu enumeratas esse mansuras, ac proinde promissionem manentibus in Christo propòsitam ad ipsos potiùs pertinere, quàm comminationem non manentibus propòsitam. 2. Quod non dicat, *si quis in me non fructificaverit, ejectus est foras,* sicut ex vers. 2. & 5. videri posset, dicendum fuisse, sed *si quis in me non manserit.* Ratio potest dari triplex, tunc quod mansionis negatio sit causa negatæ fructificationis, tunc quod manentes in Christo semper quidem interiores fructus

conjunctos habent, non tamèn semper externos, & in oculos hominum incurrentes fructus proferant, tunc quod propriam, immediatam & adæquatam damnationis causam, videlicet incredulitatem exprimere voluerit. Manemus in Christo fide, non manemus in ipso per & propter incredulitatem, quæ est formalis & propria malorum in consequente enumerationum causa. 3. Quòd Christus priùs dicat, *si quis in me non manserit,* antequam subjiciat, *ejectus est foras,* quia Deus neminem ex absoluto quodam reprobationis decreto & odio rejicit, nisi priùs se ipsum à Christo separaverit, & propriam culpam à gratia exciderit, ut superiùs etiam monuimus. 4. Quinam sint, qui non manent in Christo? Illud facillè intelligi potest ex eo, quod superiùs diximus, illos demum in Christo manere, qui per crucem & perfectiones non patiuntur se à doctrina Evangelii & fidei confessione dimoveri, qui non consentiunt erroribus cum fidei fundamentis pugnantibus, qui non indulgent concupiscentias carnis, nec peccato dominium concedunt, qui Verbum, per quod fides alitur, augetur & confirmatur, diligenter audiunt ac meditantur, qui per serias preces perseverantiam in fide à Deo petunt, qui fidem suam per dilectionem, & omnis generis bona opera exerunt. Quotquot igitur contrariò modo sese gerunt, illi non manent in Christo. 5. Quare eorum duntaxat mentionem facere voluerit, qui non manent in se, cum quædam mala in consequente enumerata, videlicet quod *colligendi sint, & in ignem abijciendi,* etiam illis competant, qui nunquam in Christo fuere? Sanè innumeri sunt, qui nunquam fuere fide Christo verè viti insiti, sed manserunt palmes ex vitiosa & venenata vite, videlicet ex Adamo prognati; plurimi etiam sunt, qui ne quidem externam societate Ecclesiæ Christi fuere conjuncti; de quorum neutris propriè dici potest, quod in Christo non manserint, cum in Christo nunquam fuerint. Dubium non est, etiam illos inter sarmenta inutilia, & in frugifera igni gehennæ deputata esse numerandos, quæ ac illos, qui cum per fidem Christo priùs fuerint insiti vel externam societate Ecclesiæ conjuncti, à Christo & Ecclesia postmodum defecerunt, interim Christus priorum istorum hoc loco disertam mentionem facere noluit, quia comparatio initio propòsita tantum ad eos, qui sunt in visibili Ecclesia, pertinet, quorum quidam exteriorè tantum, quidam verò insuper interiorè communionè Christo sunt conjuncti ad illos propriè pertinet, quod *ejiciantur foras & exaruant,* reliqui enim infideles, qui sunt extra Ecclesiam, cum nec ratione exterioris nec ratione interioris communionis Christo conjuncti fuerint; idè propriè non possunt dici *ejici,* cum nullum virorem, nullam fertilitatis speciem habuerint, non possunt propriè dici *exarescere.*

Circa consequens notandum, quòd distincta pœnarum genera enumerentur, quæ metuenda sint illis, qui in Christo non manserint. *Ejectus est foras sicut palmes & exaruit & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardet.* Maldonatus quidem statuit, his omnibus nihil aliud significari, quàm eos, qui in Christo non manserint, igne inferni esse puniendos, nec de singularum partium accommodatione esse laborandum. Probat hoc eo, quod non sit servatus in his naturalis ordo. Nam post præcisionem demum sarmenta colliguntur & in fasces colligantur, deinde mittuntur



tur forās, hoc est, extra vineam, ac tertio loco ardescunt. Sed cum omnia illa, quæ hoc loco enumerantur, optimâ ratione ad palmites infrugiferos in Christo non manentes applicari possint: ideo verisimilius est, distincta pœnarū genera non manentibus in Christo metuenda hic enumerari, id quod, comminationem in hisce vitis verbis propositam magnoperè exaggerat. Nec est perpetuum, sarmenta à radice præcisa primum colligari, deinde forās extra vineam mitti, & demum exarescere, sed quandoq; observatur idem ordo, quem Christus hoc loco sequitur, videlicet ut sarmenta à vite præcisa primum forās ejectionentur, deinde exarescant, ac tum demum collecta, & in fasciculos colligata in ignem projiciantur. Adde, quod per ejectionem quidam nihil aliud intelligunt, quàm præcisionē à vite, tunc enim quando à vite rescinditur, forās, id est, extra vitem in terram à putatore projicitur, *ὁ ἀλλοτρίου ἔξω* est projici, sicut res inutiles projiciuntur, Matth. 5, 13. ne quis de sola extra vineam projectione hic sermonem esse statuatur. Ac si vel maximè naturalis ordo non fuisset exactè servatus, ex eo tamen nondū inferri posset, unum idemq; pœnæ genus enumerari, cum distincta sint actiones & passiones, quæ hoc loco recensentur. Possunt autem illa pœnarum genera hoc modo distribui, quod quædam sint *privativa*, quæ dā verò *positiva*. Item quod quædam sint *hujus*, quædam verò *futuræ* vitæ. Pœnæ *privativæ* & pœnæ *hujus vitæ* sunt, quod sarmenta infrugifera & inutilia 1. *ejectionentur forās*, & 2. *exarescunt*. Pœnæ *positivæ* & pœnæ *alterius vitæ* sunt, quod 1. *colliguntur*. 2. *in ignem conjiciuntur*, & 3. *ardent*. Sic ergo in univèrsum sunt quinque pœnarum genera non manentibus in Christo metuenda. Primum est ejectio: Si quis non manserit in me, ejectus est forās sicut palmes. Repetit Christus tertium comparationis membrum, ut ostendat, argumentum hoc exhortationis à consequente noxiō negatæ in se mansionis petiturum ex comparatione in initio proposita esse deductum. Quemadmodum palmes, qui non fructificat in vite, ab eadem à vitatore præscinditur & extra vineam projicitur: sic qui non manent, nec fructificant in Christo, illi forās ejectionentur. Vulgata versio reddidit in futuro, *mittetur forās*. Sed in Græco est perfectū *ἐκλήθη ἔξω*, quod pleriq; juxta usitatum Hebraismum per enalagen temporis pro paulò post futuro positum esse statuunt, ut jam factum esse dicatur, quod certò ac paulò post futurum affirmatur. Gen. 20, 3. El. 60, 1. Joh. 5, 24. cap. 17, 4. &c. Quidam præteritum pro præsentis juxta similem idiotismum positum esse existimant, Pf. 14, 1. Pf. 25, 2. Matth. 3, 17. cap. 23, 2. Joh. 1, 26. &c. idque probant ex eo, quod verba præsentis temporis statim subjiciantur, *συνάγωγα, βάλλας, καὶ ἐγώ*. Sed commodè potest præteriti significatio retineri, qui enim in Christo non manet, is coram Deo & ratione interioris communionis jam ejectus est, licet aliquandiu ratione exterioris communionis in Ecclesiæ societate adhuc permaneant, perinde ut Christus dicit, Joh. 3, 18. *cum qui non credit, jam judicatum esse*. Quidam per hanc ejectionem intelligunt mortem, quâ ratione præteritum necessariò pro futuro positum esse foret statuendum, sed cum arefactio, quæ ejectioni subjungitur, etiam in hac vita locum habeat, ideo ejectio non tantum de morte, sed etiam de ea, quæ in hac vita contingit, pœna accipienda est. Intelligitur ergo per hanc ejectionem

primò separatio ab interiore cum Christo communionem. Qui enim in Christo non manent, hoc est, in ipso non fructificant, illi ratione interioris communionis à Christo separantur, etiam si interna Ecclesiæ societate quandoque adhuc perseverent. Vera & spiritualis unio cum Christo est interior, pertinet ad solos verè credentes, & ex fide fructificantur. Qui ergò in Christo non fructificant, illi non amplius retinent spiritualem & interiorem cum Christo communionem. Secundò, separatio ab interiore verorum palmitum consortio. Ad Ecclesiam visibilem & particularem pertinent omnes, quæ eandem profitentur religionem, & iisdem utuntur Sacramentis, sive boni sint, sive mali, sive renati, sive hypocritæ. Sed ad invisibilem & Catholicam Ecclesiam non pertinent, nisi boni ac renati, qui sunt vera ac viva corporis mystici membra à Christo capite Spiritum vitæ trahentia, Rom. 8, 9. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Ab hac invisibilis & Catholicæ Ecclesiæ consortio separantur, quotquot in Christo non fructificant. Cyprian. lib. 1. Ep. 3. *Illi sunt Ecclesia, qui in domo Dei permanent*. Plantationem verò plantatam à Deo Patre non esse videmus, non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici Spiritu ventilari. Hugo lib. 2. de Sacram. cap. 2. *Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum ejus, in corpore uno spiritus unus, nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum*. At, inquis, quomodo potest de non manentibus in Christo dici, quod ejectionentur forās, cum ipsimet sponte à Christo & Ecclesia sese separent? Respondetur: sicut duo sunt genera manendi in Christo & Ecclesia: ita quoque sunt duo genera non manendi, ut ostendit oppositio. Quidam in Christo sunt & manent ratione interiorum & mysticæ communionis, qui verè & firmè fide ipsi adhærent ac vitæ spiritualis ab ipso participes redduntur: quidam verò sunt & manent in Christo tantum ratione exterioris communionis, qui externâ tantum societate Ecclesiæ Christi adhærent, audiunt idem verbum, profitentur eandem religionem, utuntur iisdem Sacramentis, cum interim verè & vivè fide sint destituti. Vicissim quidam non manent in Christo ratione interioris communionis, etsi adhuc aliquandiu in eo maneant ratione exterioris communionis; quidam verò ratione utriusq; communionis in Christo non manent, per publicam apostasiam ab Ecclesiæ visibilis consortio se separant, sicque per errores fundamentum fidei evertentes pertinaciter propugnatos vel per notoria & publica delicta, in quibus sine poenitentia perseverant, occasionem efficacem præbent, ut ab Ecclesia visibili per excommunicationem separentur, ac proinde ad separationem ab interiore cum Christo & veris palmitibus communionem, quandoque accedit tertio separatio ab exteriori cum Christo & visibili Ecclesia communionem per manifestam apostasiam, ac veritatis cœlestis abnegationem, ut & quarto separatio ab Ecclesiæ communionem per excommunicationem, quâ illi, qui errores fundamentales pertinaciter defendunt, vel in publicis ac notoriis delictis sine poenitentia perseverant, velut inutilia & noxia sarmenta præscinduntur, & extra Ecclesiæ vineam ejectionentur, Matth. 18. vers. 17. 1. Cor. 5. vers. 5. Tandem quintò succedit separatio per mortem, quâ illi, qui non manent in Christo, *abscinduntur de terrâ viventium*, Esa. 53. vers. 8. & ab Ecclesiæ in terra militantis

litantis consortio separati ratione animæ in damnatorum consortio veniunt; quam separationem sequetur sextò separatio in die iudicii, quando *Angelus mittet falcem suam acutam in terram, & vindemiabit vineam terræ, & mittit in lacum iræ Dei magnum*, Apoc. 14. v. 19. ut impii corpore & animâ in gehenna crucientur. Circa has separationis species notandum, primò quod separatio ab interiore cum Christo & Ecclesia communione non semper sit conjuncta, nec secum trahat separationem ab exteriori, cum Ecclesia communione per apostasiam vel excommunicationem, siquidem externæ Ecclesiæ societati in hac vita admixti sunt, & manent multi hypocritæ, qui per mortem demum, & in die iudicii ab Ecclesia visibilis consortio penitus separabuntur. Secundò, quod proinde separatio ab interiore cum Christo & Ecclesia communione, ut & separatio per mortem, & in die iudicii omnibus non manentibus, nec fructificantibus in Christo sit communis, non autem separatio ab exteriori cum Ecclesia communione in hac vita. Tertiò, quod mors quidem bonis & malis, credentibus & incredulis sit communis, nequaquam verò separatio ab Ecclesia, quæ fit per mortem. Qui enim in vera fide moriuntur, illi ut in Christo manent, ita quoque manent in Ecclesia, nec ab ea separantur, sed ab Ecclesia militantis consortio in triumphantis Ecclesiæ consortiũ transferuntur. Aug. in Enchir. ad Laurent. cap. 56. *utraq; Ecclesia (militans & triumphans) una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo caritatis, quæ tota inspicua est ad colendum unum Deum*. Quartò, quod separatio ab interiore cum Christo & Ecclesia communione ordine naturæ, quandoq; etiam tempore, præcedat separationem ab exteriori cum Ecclesia communione. Nemo enim per manifestam & publicam apostasiam à Christo & Ecclesia discedit, nisi prius corde ab ipso discesserit, sicut adultera corde prius à marito discedit, antequam conjugale vinculum per externam secessionem disrumpat. Quintò, quod de separatione, quæ fit per mortem & in die iudicii, Christus præcipuè & principaliter in sequente membro agit: hic enim loquitur præcipuè de separatione, quæ fit in hac vita. Alterum pœnæ genus est *arefactio*. *Ejectus est foras sicut palmes, & exaruit*. Vulgata versio itidem in futuro reddidit, & *exarescet*. Sed ex antea dictis manifestum est, præteriti significationem commode retineri posse. Quidam cum præcedente membro conjungunt *ἐκλεθήθη ἕξω καὶ ἐξηρανθή*, hoc est, *βληθεὶς ἕξω ἐξηρανθή*, abjectus extra, statim arefcit. Sed sunt duo distincta pœnarum genera, & arefactio est ejectionis consequens. Quidam contra statuunt, ejectionem potius esse consequens arefactionis, palmes enim non amputantur à vite, nec præcisus extra vineâ ejicitur, nisi prius exaruit, ac inter palmites mysticos nemo foras ejicitur, nisi cujus Spiritus prius aruerit. Existimant ergo per arefactionem nihil aliud significari, quàm quod non manentes nec fructificantes in Christo ita sint damnandi, ut nulla illis spes reliqua maneat pœnitentiæ & conversionis ad Christum, quàm aridis sarmementis est renascendi in vite. Tremellius huc accommodat textum Syriacum, quem sic reddit: *ejectur foras sicut palmes, qui aridus est, & in margine, annotat: Syriaca verborum collocatio diversum sensum postulare videtur à Græco contextu, in quo palmes dicitur arefactus, quia à radice sit separatus, cum hic è diverso exfectus dicitur*. *Harim. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars terti.*

*catur, quod prius esset aridus. Verum ita exponitur Græca veritas, ne quis putet, palmitem amputari nisi sterilem. Sed non est verisimile, Christum voluisse ordinem naturalem immutare. Palmes, quando à vite præscinditur, sæpe aliquid viroris adhuc obtinet, quod post præcisionem penitus deinde amittit. Et quia superius monuimus de ejusmodi ejectione & arefactione præcipuè & principaliter hic agi, quæ fit in hac vita, ideo non potest dici, quod per arefactionem absolutè & simpliciter hoc denotetur, quod præcisus à vite Christo nulla amplius spes pœnitentiæ & reditus ad Christum super sit, quamdiu enim durat hujus vitæ tempus, tamdiu apostatis & impiis, etiam excommunicatis, patet aditus ad pœnitentiam, & per pœnitentiam ad gratiam, sed de ejectione & arefactione, quæ fit per mortem & in die iudicii, hoc duntaxat verum est, quod per eam omnis spes pœnitentiæ & reditus ad gratiam hypocritis & impiis præcidatur. Ex Syriaca paraphrasi tractio illa non potest apodicticè probari, quia, verbum *ܐܪܝܘܬܐ*, sine absurditate reddi potest, & *aridus sit*, quâ ratione textus Syriacus cum Græco exactissimè congruit. Intelligitur verò per hanc infrugiferorum palmitum non manentium in Christo arefactionem primò *privatio gratiæ cœlestis, donorum sanctificantium & interioris pietatis*. Qui ab interiore cum Christo & invisibili Ecclesia communione separantur, illi gratiâ cœlesti, donis sanctificantibus & interiore pietate privantur, ut coram Deo sint velut arida sarmenta, omni succo & humore fructificante destituta. Chrysostomus, homil. 75. in Johan. *arescet, id est, si quid habuit à radice, si quam gratiam amittet, & omni inde auxilio & vitâ spoliabitur*. Quia enim prior viriditas erat ex vite, ideo post separationem à vite, omnem succum & viriditatem amittunt, ut omnibus manifestum fiat, palmitem illum non ex se & à se, sed à vite succum & virorem pristinum accepisse. Palmes à vite præcisus & ejectus, aquâ exterius affusâ humectari potest, sed quia humiditas illa non est radicalis & interior, ideo non confert palmiti vim fructificandi, nec impedire potest, quo minus exarescat: sic à Christi & Ecclesiæ communione interiore separati in operibus bona intentione factis, in propriis satisfactionibus, in meritis sanctorum, in traditionum humanarum observatione, &c. consolationem & fructificationem querunt, sed non inveniunt. Secundò, *privatio donorum ministrantium, ac pietatis etiam exterioris*. Qui ab interiore cum Christo communione separati sunt, in illos Spiritus CHRISTI derivari nequit, nec sensum nec motum à CHRISTO tanquam capite participant, privantur donis sanctificantibus, &c. interim tamen quandoque ad tempus dona ministrantia, quas *gratias gratis datas* vocant, adhuc retinent, & externam pietatis speciem præ se ferunt, quam Apostolus vocat *μόρφωσιν ἐνσεβείας*, 2. Timoth. 3. vers. 5. sicut palmes etiam à vite separatus ad tempus aliquid viroris & foliorum retinet, sed sæpius contingit, ut progressu temporis etiam dona ministrantia amittant, ac ne quidem externam pietatis speciem retineant, sicut palmes præcisus tandem penitus exarescit. Tertiò, *in statum deterioiorem prolapsio*. Sicut lutum ardore Solis exustum subinde magis induratur, sic hypocritæ & apostatæ veritatis cœlestis ardorem sentientes*

subinde deteriores & induratiores ac ad bona operamini idonei redduntur. Quarto, quando arefactio per mortem & in die iudicii succedet (de qua tamē proprie & principaliter in sequenti membro agitur) tunc hypocritæ, apostatæ & impii *privabuntur omnibus huius vite bonis*, ut fiant penitus aridi & contempti. Tunc implebitur illud Psal. 37. v. 35. *Vidi impium robustum & erigentem sese sicut laurus viridis.* vers. 36. *& transivi, & ecce non erat: & quasi eum, & non est inventus.* Dives epulo virebat in hac vita divitiis, vestitu splendido, luxu quotidiano: sed post mortem reddebat aridum samentum, ita ut aqua guttulam desideraret, Luc. 16. v. 19. & 24. Circa hanc arefactionem notandum, quod post arefactionem, quæ impiis & hypocritis in hac vita obtingit, adhuc spes superfit, fieri posse, ut per veram pœnitentiam Christo viti (ex qua suapte culpa præcisi sunt) iterum inserantur, qua in parte evidens est discrimen inter palmitem naturalem ex vite præcisum, cui in præcisione & arefactione omnis spes insitionis simul interit, & inter palmitem myficum, cui spes illa in hac vita manet reliqua. Sed post arefactionem, quæ impiis & hypocritis per mortem ac in die iudicii obtingit, nulla amplius spes pœnitentiæ & insitionis in vitem ipsis superest.

Tertium pœnæ genus est *collectio*. Et *colligunt eos*. Christus in præcedentibus usus fuerat verbis præteriti temporis *ἐλεῖν, ἐξηραίνω*: hic verò, ut & in sequentibus, utitur verbis præsentis temporis *κολλῶσι, βάλωσι, καίωσι*, quia hæc pœnarum genera non pertinent ad hanc vitam, sed in die iudicii demum sequuntur. Interim non utitur verbis futuri, sed præsentis temporis, vel per usitatum enallagæ figuram, vel quod verisimilius, propter pœnæ securitatis certitudinem, & quia voluit nos in rem præsentem deducere; quando enim aliquid certò ac brevi futurum, tunc Scriptura loquitur de eo verbis præsentis temporis, Matth. 26. v. 28. Luc. 13. v. 32. cap. 22. v. 19. Johan. 7. v. 33. &c. cum primis verò in verbo *καίωσι*, in tempore præsentis posito est magna emphasis, quam inferius expendemus. Vulgata versio reddidit in futuro, *colligent, & pronomen posuit in singulari, colligent eum*. Sed Græci Codices constanter legunt in plurali *κολλῶσιν αὐτά*, scilicet, *καλλῶσιν τὰ ἐξω βλαβῆσα καὶ ἐξηραίνῶσιν*. Quidam putant, mendum aliquod in Græcis Codicibus hic occurrere, ac pro *αὐτά* legendum esse *αὐτό*, cum paulò ante præcesserit *τὸ κλίμα*, ac Syrus etiam habeat singulare *κλίμα*: sed verbum *κολλῶσιν* manifestè ostendit, legendum esse in plurali *αὐτά*, quia collectio plures palmites requirit. Quando loquimur de eo, quod pluribus commune est, ibi usitatum est à singulari, in quo cœpit sermo, declinationem fieri ad numerum pluralitatem. Qualis autem sit collectio, quam non manentibus in se palmitibus Christus hic comminatur, ipsemet satis luculentè exposuit, Matth. 13. v. 30. *in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & colligate ea in fasciculos.* vers. 39. *Messis est consummatio seculi. Messores autem Angeli sunt.* vers. 40. *Sicut ergo colliguntur zizania &c. sic erit in consummatione seculi.* vers. 41. *Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem.* Duplicis ibi collectionis fit mentio. Colliguntur zizania, & alligantur in fasciculos,

sed *ad comburendum*: congregatur etiam triticum, sed *in horreum*: sic in die iudicii Filius hominis mittet Angelos suos, qui *triticum*, hoc est, electos colligent à quatuor ventis, Matth. 24. v. 31. *& congregabunt eos in horreum caeleste*, cap. 3. v. 12. sed *zizania*, hoc est, impios eo fine colligent, ut in ignem eos abjiciant, sicut statim hoc loco additur, *colligunt eos, & in ignem conjiciunt*. De hac collectione Esaias cap. 24. vers. 21. 22. sic vaticinatur: *In die illa visitabit Dominus super militiam altitudinis in excelsis, & super Reges terræ, qui sunt super terram. Et congregabuntur in congregatione fascis in pureum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur, cujus oraculi expositionem dedimus in tractat. de Inferno §. 65. Ex collatione horum parallelorum locorum manifestum est, verbum *κολλῶσιν* vel positum esse impersonaliter, ut subintelligantur Angeli, ex Matth. 13. vers. 41. vel aditivum positum esse pro passivo, *colligunt eos*, id est, colliguntur vel coguntur isti, ex Esaiæ 24. v. 22. Utriusque Hebraismi exempla alibi passim occurrunt.*

Quartum pœnæ genus est *conjectio in ignem*. *Colligunt eos, & in ignem conjiciunt*. Vulgata versio iterum mutavit in futurum, *mittet eum in ignem*. Sed nulla cogimur necessitate, ut præsens mutemus. Quidam accipiunt de igne malæ conscientia, quem hypocritæ & impii in hac vita sentiunt: sed & præcedens verbum *κολλῶσιν*, & sequens *καίωσι*, ostendunt, de igne gehennæ Christo hic præcipue sermonem esse, ac usitatum est in Scripturis phrasin *εἰς τὸ πῦρ βάλλωσιν*, vel *ἐξω βάλλωσιν*, vel *εἰς τὴν γέενναν βάλλωσιν*, de coniectione in ignem gehennæ usurpata, Matth. 3. 10. cap. 9. v. 29. cap. 7. 19. cap. 13. 48. 50. cap. 18. 8. 9. Marc. 9. 45. Luc. 3. 9. Apoc. 20. v. 10. 14. & 15. Videtur autem isthæc proposita comparationis accommodatio desumpta ex Ezech. 15. 2. *Fili hominis, quid lignum vitis præstat cæteris lignis? palmas inter ligna syloa? vers. 3. nunquid tollitur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricatur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumq; vas? vers. 4. Ecce ignitatum est in escam, & utramq; extremitatem ejus devorabit ignis, & medium ejus comburitur &c.* Atque hæc missio hypocritarum & impiorum in ignem gehennæ in die extremi iudicii securura respectum habet ad verbum *βάλλωσιν*, in præcedente huius versicali membro usurpatum. Hypocritis & impis leviculum videtur separari ab interiore cum Christo & Ecclesia comunione, contemnunt etiam Ecclesiasticam excommunicationem, ac delicatos cibos nihilominus sibi optimè sapere dicunt, etiam si sint à vera Ecclesia excommunicati. Sed Christus hic docet, prius illud *βάλλωσιν ἐξω*, quod fit in hac vita, securum aliud *βάλλωσιν ἐξω*, vel *βάλλωσιν εἰς τὸ πῦρ*, in die iudicii, Matth. 22. v. 13. in quo reipsa experientur, quantum mali secum afferat à Christo & Ecclesia in hac vita separari. Johannes Bernhardinus Muscatellus in pract. criminal. cap. de crim. læsæ Majest. Divin. num. 48. de igne materiali in hac vita urente verba Christi accipit, & ex eo probare conatur, hereticos esse ad ignem damnandos, quæ in parte ipsum sequitur Simanca in Institut. cap. 46. num. 45. Sed Didacus Covarruvias lib. 2. varior. resolut. cap. 10. & Gundissalvus de Villadiego lib. de heretic. q. 15. num. 4. fatentur, locum hunc non posse ad quæstionem de capitali heretici

reticorum supplicio accommodari, ac in eo non agi de igne materiali in hac vita urente, sed de igne infernali, id quod manifestè probat ipse contextus. Qualis enim vitis, quales palmites, talis etiam ignis manet palmites illos, qui à vera vite abscinduntur. Jam verò non de naturali vite & palmitibus Christus loquitur, sed de vite & palmitibus mysticis. Ergo etiam non naturalis, sed mysticus ignis hic intelligitur. Præterea de tali in ignem confectione loquitur, quam præcedet collectio inutilium sarmentorum. Atqui collectio illa fiet demum in die iudicii. Ergo etiam illa in ignem coniectio. Nec tantum per hæresin, sed per quodvis mortale delictum, in quo homo sine pœnitentia perseverat, palmites à vite excinduntur. Ergo juxta hanc hypothèsin omnes, qui peccatum mortale committunt, pœnâ ignis à Magistratu essent afficiendi, quod absurdum.

Quintum & ultimum pœnæ genus est *incensio*. *Conspiciunt eos in ignem & ardet.* Verbum *καίσει* potest etiam verti in plurali, quia respectum habet ad nomen plurale *αυτά* in neutro genere positum, quâ ratione non occurrit quædam generis *ἀνομαλία*. Vulgata versio hic retinuit præsens tempus, quod optimo jure etiam in prioribus facere potuisset, quia pendet hoc verbû à præcedentibus, *ὡς ἐστὶν αὐτὰ καὶ εἰς τὸ πῦρ βάλλονται καὶ καίσει, hoc est, ὡς ἐστὶν καίσει, ut ardeant, scilicet τὰ κήματα εἰς τὸ πῦρ βληθέντα, quo modo etiam Syrus hac connectit. Colligentes conspiciunt eum in ignem, τῶνδῃ, ut succendatur, quod erit consequens tristissimâ illius in ignem confectionis, Matth. 13. v. 42. & 50. mittent eos in caminum ignis, ibi erit stetus & stridor dentium. Magna autem emphasis est in verbo præsentis temporis. Eo enim significatur, primo hypocritas & impios in conspectu Dei jam ardere, id est, iusto Dei iudicio ob prævitam finalem impœnitentiam & incredulitatem esse æterni igni deputatos, sicut Joh. 3. v. 18. dicitur, qui non credit, jam iudicatus est. v. 36. ira Dei manet super ipsum. Secundò pœnam illam ignis certò & infallibiliter secuturam, nisi ante finem vitæ ad Deum convertantur. Tertio, eandem etiam brevi secuturam, ac sarmentis ejusmodi in propinquo esse exitium paratum, quia comparatione ad æternitatem etiam longissimum hujus vitæ tempus breve est ac momentaneum. Quarto, damnatos igne gehennâ quidem uri non tamen exuri & absumi, sed in igne illo perpetuò vivere. Longè igitur deterior est conditio impiorum ac damnatorum quàm palmitum in frugiferorum. Hi enim brevi temporis spacio in cineres ac favillas rediguntur, sed impii ἀσέσω & inextinguibili igne in æternum cruciantur. Hi non sentiunt ignis ardorem & flammam, sed impii exquisitissimo doloris sensu gehennalis illius ignis ardorem percipiunt. Cyprianus in libr. ad Demetrian. *Cremabit adductos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit, unde habere tormentum vel requiem aliquando possint vel finem.* Serm. de ascens. Dom. *Immortales miseri vivent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent.* Cassiodorus in Psalm. 20. *Iste ignis sic absumit, ut servet; sic servat, ut cruciat, dabiturq; miseris vita mortalis, ut mors servatrix &c.* Quintò, pœnam illam ignis infernalis non solum fore æternam, sed etiam continuam, & nunquam interruptam. Semper de damnatis poterit dici, *ardent, Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.**

quia ne minimum quidem in æternitate illa temporis momentum dabitur, in quo non ardeant. Esa. 34. vers. 10. *nocte & die non extinguetur ille ignis.* Apoc. 20. v. 10. *cruciantur damnati die ac nocte.*

Atque hæc sunt quinque distincta pœnarum genera, quæ Christus non manentibus in se comminatur, ex quibus colligi potest: 1. non ea tantum in Ecclesia docenda, quæ continent *promissiones Evangelicas* de gratia Dei & vita æterna, sed etiam quæ continent *legales comminationes* de iudicio Dei & damnatione. 2. Idque non propterea solum, quia in Ecclesiæ cœtu externo sunt multi hypocritæ & impii, qui comminationibus illis terrendi sunt, ut agant pœnitentiam: sed etiam propter ipsos pios, qui in hac vita ex parte adhuc *carnales* sunt, Rom. 7. v. 14. hoc est, peccati reliquias in carne circumferunt, quibus ne dominû concedant, sed Spiritu eas mortificent, legalibus ejusmodi comminationibus excitandi sunt, sicut videmus Christum hoc loco discipulis in se credentibus non tantum promissiones, sed etiam comminationes proponere. 3. Eadem comminationes non tantum hunc usum præstant, ut impios terreant, & carnem in piis mortificent ac deprimant: sed etiam consolantur pios, quod qui in hac vita eos persequuntur, aliquando in æternum ignem sint abijcendi, 2. Thess. 1. 6. & seqq. Teoph. in h. l. *Non parvam eis dat consolationem, ostendens quod hi, qui insidiantur sibi, ut Judas, comburantur.* 4. In ejusmodi comminationibus non tantum temporales hujus, sed etiam æternæ alterius vitæ pœnæ sunt inculcandæ & exaggerandæ. 5. Qui enim in hac vita frugiferis palmitibus sunt intermixti, imò etiam iisdem sæpius molesti, illi in die iudicii ab omni, etiam externo piorum consortio penitus separabuntur sicut hædi ab ovibus circa vesperam à pastoribus separantur, Matth. 25. v. 32. Qui in hac vita ignem & rogos veris Christi confessoribus inferre non formidarunt, illi in die iudicii in ignem abijcuntur. 6. *An ignis ille futurus sit corporeus vel incorporeus, hominem in hac vita arbitramur scire neminem.* Augustinus, lib. 20. de Civ. Dei cap. 16. proinde etiam non debet temerè definiri. Confer tractat. de Inferno. §. 68. & seqq. interim certum est, pœnam damnatorum non fore tantum *privativam*, id est, pœnam *damni*, sed etiam *positivam*, hoc est, pœnam *sensu*, ut Christus expressè hoc loco docet, ac damnatos non solum in animabus, sed etiam corporibus fore torquendos. 7. Comminationem illam de pœnis temporalibus & æternis Christus non opponit quibusvis peccatoribus, sed illis tantum, qui non manent in ipso, id est, qui vel palam ab Evangelio deficiunt, vel vita & factis Christum negant, vel alibi quàm in Christo salutem & vitam quærunt, cum prius fide Christo fuissent insiti, 8. Ex quo etiam apparet, eos, qui Christo prius fide fuere insiti, posse ab eo deficere & in ignem abijci. Christus neminem quidem à se abijcit ex absoluto quodam odio, vel quadâ mutabilitate voluntatis, Rom. 11. 29. nec diabolus, vel ulla creatura, credentes à Christo separare potest, Joh. 10. 28. Rom. 8. 38. interim ipsimet sua sponte & propria culpa à Christo se avertere possunt, quod si faciunt, in æternum exitium semetipsos spontè præcipitant.

Quartum exhortationis argumentum petitur à mansionis in Christo utilitate. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, pete-*



petetis, & fiet vobis, In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Respiciunt hæc verba ad v. 5. *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum.* Cum enim ibi promissione copiosi fructus manentibus in se proposita discipulos, ut in se manerent, exhortatus fuisset, & verò res parvi momenti alicui videri posset, manere in Christo & in eo fructum ferre: ideo jam exaggerat commoda obventura illis, qui in se manent, ut qui promissione fructus non permoventur, ut in Christo maneat, illi promissione commodorum sperandorum illis, qui in Christo manent & fructificant, permoveantur. Simul etiam hac promissionis suavitate proximè præcedentis comminationis severitatem temperat. Dixerat Christus in versu proximè precedente: *Si quis in me non manserit, ejectionis est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardet.* Potuissent discipuli hac comminationis severitate nimio perterriti, propriæ infirmitatis sensu tentati, ac metuere, ne exemplo Judæ proditoris excollegæ itidem in Christo separentur, ideo subjungit Christus suavissimam promissionem, eamque non amplius in tertia persona, ut priorem comminationem, sed in secunda persona format, *si manseritis in me, &c.* ostendens, quid sperare debeant, si constanter in se manere perrexerint. Unde Syrus addit particulam adverbivam *in*, *si verò manseritis in me.* Continent etiam hæc verba insignem consolationem, quâ discipuli mœrorem & dolorem suum lenire poterant ac debebant, siquidem Christus ipsos consolatur hoc argumento: Qui certam habent promissionem, quod à Deo impetraturi sint omnia ad salutem æternam, & muneris commissi functionem necessaria, quique actionibus suis Deum glorificant, ac se veros & genuinos Christi discipulos esse demonstrant, illi non debent nimio mœrore confici, sed lato corde ad Deum confugere, & ab eo consolationem, auxilium & in laboribus vocationis felicem successum ab ipso petere. Vos discipuli mei certam habetis promissionem, quod à Deo impetraturi sitis omnia ad salutem æternam & muneris commissi functionem necessaria, vos etiam actionibus vestris Deum glorificabitis, vosque veros & genuinos meos discipulos demonstrabitis. Ergo. Triplicem enim utilitatem discipulis in se manentibus Christus promittit. Prima est omnium necessariorum à Deo per preces impetratio: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis.* Circa antecedens hypothetica hujus propositionis notandum, quod Christus non simpliciter & absolute dicat: *Si manseritis in me,* sicut in versu præcedente dixerat, *si quis in me non manserit,* sed quod *ἐάν τις ἦν ἐν ἐμοί* addit, & *verba mea in vobis manserint.* Cyrill. lib. 10. in Joh. c. 18. existimat, ideo post illud, *si manseritis in me,* additum esse, & *verba mea in vobis manserint,* quia fieri possit, ut quis in Christo maneat, in quo tamen verba Christi non maneat. *Fieri, inquit, potest, ut in Christo maneat, & verba ejus in te non habeas &c.* Qui verbis nudis Christum consentitur, sed mandatorum observatione, id est, caritate ad perfectionem non conformantur, quamvis Christo fide inhaereant, in eo hac ratione maneat, verba tamen ejus non habent. Non oblit quidem illi prædicationis Evangelicæ, sed illecebris voluptatum capti Spiritus gratiam abjiciunt. Quo accommodari posset, quod superius in vers. 2. Christus dixerat: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollit, quod non*

solum apostatis, sed etiam hypocritis oppositum esse superius diximus. Sed quia Christus paulò ante dixerat v. 5. *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum:* ideo rectius statuitur, mansionem in Christo esse solis verè credentibus, & ex fide Christum diligentibus, & ex fide ac dilectione mandata Christi servantibus, propriam, ac juxta comparationis propositæ scopum illos tantum dici in Christo manere, in quorum cordibus *Christus per fidem habitat,* Eph. 3, 17. ac *vivit,* Gal. 2, 20. qui fide verè & viva per dilectionem efficace Christo adherent. Qui fidem tantum historicam vel nudam fidei professionem testimonio bonorum operum destitutam habent, illi ut ratione externæ cum visibili Ecclesia Societatis in Christo ut unquam esse dici possent, ita quoque ratione notitiæ & exterioris professionis Verba Christi ut unquam in se adhuc habent, cum religionem Christianam ore adhuc profiteantur. Rectius ergo dicitur, quod, quemadmodum in vers. 5. hæc duo, *qui manet in me, & Ego in eo,* simul conjunguntur, non quasi illa à se invicem separari possint, ac quasi juxta interiorem & spirituales unionem possit aliquis in Christo manere, in quo tamen Christus non maneat, sed quia illa sunt invicem artissimè connexa, ac sese mutuo consequentia: ita quoque in præsentè versiculo (quem ad vers. 5. respectum habere superius monuimus) hæc duo, *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint,* ideo conjungantur, non quasi ab invicem possint separari, ac quasi aliquis possit manere in Christo, in quo non manserint Verba Christi: sed ut primo ostendatur, hæc duo esse invicem artissimè connexa, ac sese mutuo consequentia. Qui manet in Christo, in illo quoque manent Verba Christi: & in quo manent Verba Christi, is etiam in Christo manet. Vicissim, qui non manet in Christo, in eo non manent Verba Christi, & in quo non manent Verba Christi, is etiam non manet in Christo. Secundo, ut doceatur modus, quo Christus in nobis velit manere, videlicet per Verbum Evangelii fide receptum, unde pro eo, quod superius dixerat: *Qui manet in me, & Ego in eo,* jam dicit: *Si manseritis in me, & Verba mea in vobis manserint,* ex quo promtè colligitur, quod in quo manent Verba Christi, in eo etiam Christus maneat. Tertio, ut spirituale semen, ex quo spiritualis fructus (cujus in v. 5. facta erat mentio) enascatur, nobis ob oculos ponatur. Omnis fructus ex semine, & quidè cognati generis nascitur. Quia ergo in v. 5. Christus dixerat, *qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum,* ideo jam nominat semen spirituale, ex quo fructus ille nascatur, quod est Verbum Christi, sive, quod idem, Verbum Evangelii, ex quo ut ad vitam æternam regeneramur, ita quoque per illud vera fide receptum ad fructus bonorum operum proferendos forecundè reddimur, Jac. 1, 18. 1. Pet. 1, 23. 1. Joh. 3, 9. Quarto ut ostendatur, ad quos pertineat, promissio in consequente posita, *quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis.* Cum enim ipsa experientia testetur, non omnia, quæ in precibus petuntur, homines à Deo impetrare, ideo Christus hanc antecedentis explanationem præmittere voluit, ne cui generalis illa promissio, *quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis,* nimis larga videretur. Hoc enim vult Christus dicere: *Si Verba mea in vobis manserint,* satis vos docebunt, quid à Deo petere debeatis, qua de re paulò post dicitur pluribus. Ut autem hæc omnia evadant clariores, explicandum est, qua ratione verba Christi in no-

in nobis maneat. Per verba Christi proprie & principaliter intelligitur doctrina Evangelii specificè sic dicta, illa manet in nobis, si eam non solum auribus externis audimus, sed etiam fide cordis recipimus ac fructu operis fidem illam demonstramus. Ita namque Christus ipse hanc verborum suorum in nobis mansionem explicat, Matth. 13. vers. 23. Marc. 4. v. 20. Luc. 8. v. 15. *Semen, quod in terram bonam sparsum, hi sunt, qui audientes Verbum intelligunt, suscipiunt ac retinent, & fructum afferunt in patientia, ubi quinque requisita à Christo recensentur, videlicet τὸ ἀκούειν, τὸ συνίεναι, τὸ παραδέχεσθαι, τὸ κατεχέειν & τὸ καρποφορεῖν.* Quemadmodum enim non sufficit semen in terram spargi, sed oportet illud terræ gremio recondi, retineri, foveri &c. ut postea enascatur & fructum ferat: ita quoque semen Verbi spirituale non tantum auribus percipiendum, sed etiam corde fideli recipiendum & custodiendum, ut in ferendis fructibus sit in nobis efficax; Luc. 11. v. 28. *Beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud: ubi τὸ ἀκούειν coniungitur τὸ φυλάττειν.* Joh. 8. v. 31. Christus illud sic declarat: *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Tunc ergo manent in nobis Christi Verba, quando nos in sermone Christi manemus sancta fidei obedientia. Manent pròinde in nobis Verba Christi, si sint in intellectu per *σύνεσιν* piam meditationem, in voluntate per bonum affectum, in corde per fidem, in ore per confessionem & aliorum informationem, in membris omnibus per operis executionem. Johan. 8. v. 37. dicit Christus ad Judæos incredulos: *Sermo meus, ἡ χάρις, non habet locum in vobis, quod cap. 5. v. 38. sic declarat: sermonem meum non habetis μνησθεῖς ἐν ὑμῖν, quia quem misit ille, ei vos non creditis.* Ergo à contrario sensu, qui sermoni Christi locum in corde suo concedunt, ac per fidem eum recipiunt, in illis manent Verba Christi. Johannes 1. Epist. 2. v. 14. scribit adolescentibus, *ὁ λόγος & ὁ θεὸς ἐν ὑμῖν μένει, & vicissim malignum.* Ergo in quo Verbum Dei manet, illum reddit fortem, ut diabolus possit vincere, quod fide fieri, testatur Petrus 1. Epist. 5. v. 9. Paulus, Col. 3. v. 16. illam Verborum Christi in nobis mansionem sic declarat: *ὁ λόγος & ἡ χάρις ἐνοικεῖται ἐν ὑμῖν, sermo Christi non peregrinetur, non vagetur apud vos, sicut hospes veniens honorificè accipitur, at mox dimittitur, sed habitea in vobis, stabilem & fixam sedem in cordibus vestris habeat.* Proprium enim illius domicilium est & esse debet cor nostrum, ac pròinde non tantum maneat in intelligentia & in memoria, nec tantum in auribus & corde, sed in corde tanquam Spiritus & vita, Joh. 6. v. 63. Augustinus, tractat. 81. in Johannem: *Tunc dicenda sunt Verba ejus in nobis manere, quando facimus, quae praecepit; & diligimus, quae promissit.* Quando autem Verba ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Ad hanc differentiam valet quod scriptum est: *Et memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea.* Multi enim memorià retinent & contemnunt, vel etiam derident & oppugnant ea. In his Verba Christi non manent, quia tangunt quodammodo, non coherent, & ideo illis non erunt in beneficium, sed in testimonium. Et quia sic insunt eis, ut non manent in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut judicentur ab eis. Simon de Cassia 1. 12. de gest. Salvat. cap. 8. *Ma-*

*Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.*

nent in nobis Verba Salvatoris non alio manendi ordine, nisi eo, quod cum audivimus, si sunt nostrum excedentia, intellectum, credimus, si propè intelligimus, intellecta placent, placentia diliguntur, dilecta firmantur in memoria; memoria commendata, tenaciter juxta cautelam & opus in effectum libera voluntate, tota possibilitate deveniunt. Consequens hypothetica hujus propositionis sic habet: *Quaecunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Pro ἀιτησθε, petetis, tria exemplaria legunt ἀιτησθε, petite. Sed plerique Codices Græci habent futurum indicativi ἀιτησθε, quod juxta usitatum Hebraismum ponitur pro imperativo. Pf. 5. v. 12. Potest etiam huc accommodari regula, quod verba actionis sæpe significant agendi potestatem. Petetis, id est, petere vobis licebit, Deut. 2. v. 27. Ruth. 2. v. 2. 2. Sam. 16. v. 9. Syrus reddidit, *quicquid volueritis, & fiet vobis, quicquid desiderabitis ad petendum, illud fiet vobis, id est, dabitur vobis à Patre meo cœlesti, ut exponitur in v. 16.* Commodè verò hæc promissio de impetratione omnium ad salutem & functionem commissi muneris necessariorum præcedentibus subjungitur. Nam primò dixerat Christus vers. 5. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Jam ergo ostendit, quâ ratione manentes in ipso fructificent, videlicet non per modum naturæ, & ex propriis viribus, sed novis à Spiritu sancto donatis viribus per piæ preces à Deo impetrandis. Quemadmodum palmites succrescere, & fructum ferre nequeunt, nisi humorem traxerint & vitæ: sic nec nos Spiritus sancti donis & pietatis fructibus gravidi esse poterimus, nisi precibus seriis divinam gratiam & auxilium imploremus. Secundò dixerat Christus, *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint.* Jam ergo subjungit, *quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis, ostendens, quâ ratione verba ipsius in nobis manerent, videlicet fide & precibus, quibus impetramus, ut auditus verbi nobis sit salutaris & fructuosus.* Tertio promissio de precum exauditione cum mansionem Verborum Christi in nobis arctissimè & optimâ ratione coniungitur. Si Verbum Christi audiamus, & fide retinemus, Ipse cum Patre & Spiritu sancto nos ad se clamantes vicissim audit. Si verò Christi Verbum non audimus, Ipse vicissim nos non exaudit. Quarto promissio de exauditione precum nititur hoc fundamento, quod per Christum sumus Deo reconciliati, ac in dilectos filios ab Ipso adoptati, Ephes. 1. v. 6. merito igitur Christus dicit: *Si verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis, id est, si Verbum meum fide receperitis, & per hanc fidem ὑποθεσίαις, participes facti fueritis, Pater meus cœlestis nihil vobis denegabit, utpote quos in me dilecto suo filio, ut filios adoptivos paterno amore complectitur.* Quintò, cum primis verò Christus ideo hæc duo, suorum scilicet Verborum in nobis mansionem, & precum nostrarum exauditionem connectit, ut ostendat, promissionem de exauditione precum pertinere duntaxat ad eos, in quibus Verba Christi manent, id est, qui non petunt ex carnali desiderio quicquid in buccam venit, sed qui præscriptum Verbi sequuntur. Ergo generalis illa sententia, *quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis, explicanda & quasi limitanda est ex proximè præmissis antecedente, si verba mea in vobis manserint, id est, si secundum Patris cœlestis voluntatem in Verbo revelata*

latam petieritis, 1. Joh. 5. v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia, quandocunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Docet autem Verbum Dei, quod ea tantum sint petenda, quæ faciant ad Dei gloriam, ac nostram & proximi salutem, quod temporalia & terrena non nisi cum conditione sint petenda, quod in precibus nec tempus nec modus Deo sit præscribendus, sicut etiam hoc loco Christus sine temporis & modi determinatione dicit, *siet vobis.* Eadem explicatio, & quasi limitatio hujus promissionis colligitur ex priore antecedentis parte: *Si manseritis in me, quicquid voleritis, petetis.* Jam verò in Christo non manemus, nisi per fidem. Quod si ex fide petimus, non nisi secundum Dei voluntatem petimus, videlicet ea, quæ ad gloriam Dei, & nostram ac proximi salutem pertinent, cum certa conditione. Ac ut res tota sit illustrior, repetenda ex superioribus limitatio, quam huic ipsi promissioni de exauditione precum Christus addidit, ac bis repetivit, Joh. 14. v. 13. & 14. *Quicquid petieritis in nomine meo.* Jam verò, qui petunt ea, quæ cum Verbo & voluntate Dei pugnant, illi non habent in se manentem sermonem Christi; qui petunt ea, quæ salutem sunt contraria, illi non petunt in nomine Christi Salvatoris. Augustinus in hunc locum: *Manendo in Christo, quid velle possunt, nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum à salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, & aliud volumus, quia sumus adhuc in hoc seculo.* De mansione namque hujus seculi nobis aliquando subrepat, ut hoc petamus, quod nobis non expedire nescimus. Sed absit, ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit, quando petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cum Verba ejus in nobis manent, quodcunque volerimus, petimus, & siet nobis. Qui si petimus, & non siet, non hoc petimus, quod habet mansio in eo, nec quod habent Verba ejus, quæ manent in nobis, sed quod habet infirmitas & cupiditas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent Verba ejus. Nam utique ad Verba ejus pertinet oratio illa, quam docuit, ubi dicimus: *Pater noster, qui es in cælis.* Ab hujus orationis verbis & sensibus non recedamus, petitionibus nostris, & quicquid petierimus, siet nobis. Cyrillus d. l. *Non est par, ut, qui manet in Christo, & mandata ejus servat, is quicquam peccat, quod Deo non placeat.* Propterea iis, qui doctrinam suam in animo retinent atque servant, istud pollicetur. *Quare si accipere volumus, cum petamus, rectè vivamus, & quicquid petierimus, absq. mora nobis Christus præstabit.* Simon de Cassia d. l. *Si verba mea in vobis manserint, quæ doctrinalia sunt, ipsa docebunt, quid justum, quid honestum, quid delectabile, quid jucundum, quid utile, quid licitum & expediens, quid datori dare, quid postulanti dignum accipere videatur.* Alb. in hunc locum: *Tunc non petetis, nisi in voluntate vitis, & in conformitate Spiritus ejus, qui ministrabit vobis à vite, si in me manseritis.* Proponitur ergò in his verbis 1. repetitio insignis promissionis de exauditione precum, de qua superioribus latè egimus. Christus non dicit, quicquid vobis necessarium erit, sed quicquid voleritis, quod desumptum videri potest ex Pl. 145, 19. *Voluntatem mentium se faciet Dominus, & clamorem eorum exaudiet.* 2. Interim tamen voluntas nostra in precibus divinæ voluntati in Verbo revelatæ debet esse conformis, ideò Christus hæc duo conjungit: *Si Verba*

*mea in vobis manserint, quicquid voleritis, petetis, & siet vobis.* 3. Verbum illud Christi est salutare & efficacium medium, per quod fides in cordibus nostris accenditur, augetur ac confirmatur, proinde per quod Christus in nobis manet. Cyr. in h. l. *Veluti qui ignem in arca vase recondit, caliditate ignis non caret; sic qui verba divina in animo retinet, & ea servare conatur, virtutis semper ardet amore.* Scriptum est enim: *Ignitum est eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Pl. 119. v. 140. 4. Summus igitur in his terris thesaurus noster est, & esse debet, Verbum Christi. Qui Verbum Christi in corde habet, is Christum in corde habitantem habet, Eph. 3. v. 17. *Qui Christum habet, omnia habet, quia ipse est  $\tau\omicron\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho$ .* Sir. 43, 29. *Qui Christum habet, vitam æternam habet, quia Ipse est verus Deus & vita æterna.* 1. Joh. 5. v. 20. Terreni thesauri erogando minuuntur, sed hic thesaurus verbi cælestis dispensando augetur. Terreni thesauri sollicitudinem possessori afferunt, sed hic thesaurus verbi omnem sollicitudinem aufert. 5. Verbum illud Christi est tale medium, per quod Christus ad nos venit, & in nobis manet, ut sit solum atque unicum medium, per quod in nobis manet. Qui ergò extra Verbum Christum quarunt in ratione humana, in traditionibus hominum, in cultibus proprio arbitrio excogitatis, illi non sunt in Christo, nec Christus in ipsis manet, cum Verbum Christi in illis non maneat.

Altera utilitas, quam Christus manentibus in se promittit, est *Patris cælestis glorificatio.* In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli. *ἐν τῷ τῷ, in hac re, sive per hanc rem, quam scilicet mox exprimam: Sic Joh. 13. v. 38. ἐν τῷ τῷ, in hoc, sive per hoc cognoscant omnes, quod sitis mei discipuli, si dilectionem invicem habueritis.* Verbum *ἐδοξάζω* cum in præterito positum sit, Cyrill. lib. 10. etiam significatione præteriti accipit, ac de re præterita sermonem esse arbitrat, videlicet de missione Filii in mundum magnâ cum Patris cælestis gloria facta, ut credentes in Filium Mediatorem uberrimum afferant fructum. *Clarificatus* (inquit) est Pater proprio Filio pro redemptione hominum dato, quem voluit hominem fieri, non ut boni quicquam sibi acquirat, qui semper perfectissimus est, sed ut homines plurimum ferant fructum, & Christi efficiantur discipuli. *Nam nisi Filius Dei homo factus esset, nunquam nos, ut palmites illi quasi vitæ harentes participatione Spiritus fructum ederemus.* Sed juxta hanc hypothesein dicendum Christo fuisset *ἐν τῷ τῷ, ad hanc rem, vel propterea glorificatus est Pater meus.* Quia verò non dicit *ἐν τῷ τῷ, sed ἐν τῷ τῷ, ideo præteritum ἐδοξάζω ponitur vel pro præteriti, in eo glorificatur Pater meus, vel pro futuro, in eo glorificabitur Pater meus, vel rectè monet Euthym. Usitatum enim est in scripturis idiorismo quodam Hebraico præterita poni pro præsentibus, Matth. 3. v. 17. cap. 23, 2. Luc. 1, 47. Joh. 1, 26. & in hoc ipso capite v. 11. ac pro futuris, præsertim quando aliquid certò & brevi est futurum, ut superioribus adductis aliquot exemplis demonstravimus. Ergo per phrasin *ἐν τῷ τῷ* exprimitur quasi materia glorificationis, in quo & per quod Pater cælestis glorificari possit ac debeat, videlicet per fructificationem discipulorum, ex quo etiam intelligitur, conjunctionem *ἐν τῷ τῷ* hoc loco poni pro *ἐν τῷ τῷ*. Communiter hæc conjunctio vel *ἐν τῷ τῷ* vel *ἐν τῷ τῷ* usurpatur, ut vel finem vel e-*

ventum denotet. Sed neutra significatio hic locum habet: Non prior, quia Pater cœlestis non glorificatur in hunc finem, ut fructum copiosum afferamus; nec posterior, quia ex eo, quod Pater cœlestis glorificatur, hoc non consequitur, ut fructum copiosum afferamus. Ergo accipiendâ est *αἰώνως* posita pro *ei*. In hoc glorificatur Pater meus, si fructum copiosum afferatis, Joh. 4, 34. *Meus cibus est, iuxta πῶλον, si facio voluntatem Patris*, cap. 15, v. 12. *Hoc est præceptum meum, iuxta αἰώνως ὅτι, ut diligatis, ac si diligetis invicem, hoc præceptum meum implebitis*, cap. 17, v. 3. *Hæc est vita æterna, iuxta γνώσκωσιν σε, si cognoscant te solum verum Deum, &c.* ut sic per quandam quasi appositionem hæc verba cum phrasi *ἐν τῷ* conjungantur. Proinde Christus hoc loco tale exhortationis argumentum format: Per quod Pater cœlestis glorificatur, illud maxime operè vobis debet esse commendatum. Jam verò per constantiam in fide Pater cœlestis glorificatur. Ergo constantia in fide maxime operè vobis debet esse commendata. Major est manifestæ veritatis, quia hominibus nihil magis curæ esse debet, quam ut gloriam creatoris & benefactoris sui promoveant, quæ omnium humanarum actionum debet esse principalis finis & scopus. Minorem Christus sic exprimit: In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum afferatis. Dixerat superius v. 5. *Qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*. Ergo per fructificationem tanquam effectum & consequens describit spirituales & salutarè piorum in sese mansionem, hoc modo: *Qui fructum copiosum afferunt, illi glorificant Patrem meum cœlestem*. Jam verò qui in me manent, illi fructum copiosum afferunt. Ergo qui in me manent, glorificant Patrem cœlestem. Et quia in Christo manere, est constantem in fide manere: ideo per nostram in fide constantiam Patrem cœlestem glorificari intelligendum relinquunt. Major hujus argumenti, quod scilicet illi, qui fructum copiosum afferunt, Patrem cœlestem glorificent, respectum habet ad comparisonem initio propositam. Quemadmodum enim agricola glorificatur, si palmites à se plantati & diligenter culti fructum copiosum afferant: ita quoque cœlestis agricolæ gloriæ cedit, si spirituales palmites in Christo verà vite maneant, & fructum copiosum afferant. Chrysol. hom. 75. in Joh. existimat, glorificationem hic poni pro exultatione: *In hoc glorificatus est Pater, hoc est, letatur, cum in me manetis & fructum fertis*. Quemadmodum enim agricola non mediocre gaudiū percipit, quando videt, curam & culturam suam palmitibus impensam non fuisse frustaneam, sed eos fructificare: ita quoque Pater cœlestis gaudet hominum conversione & fructificatione, Luc. 15, 7. Sed Christus hic non tam de interiore Patris cœlestis gaudio, quam de exteriori ejus gloria apud homines crescente loquitur. Quamvis enim respectu hominum hæc Patris gloria non solum sit exterior in confessione oris consistens, sed etiã interior in cordis agnitione sita, tamen respectu Dei est exterior, quia in se & sua essentia per hanc gloriam, nec major nec minor redditur. Lætitia ex glorificatione oritur, sed non est ipsa glorificatio. Per fructum, quem Apostoli afferre, & per eum Patrem cœlestem glorificare debeant, quidam intelligunt prædicationem & propagationem Evangelii, qui propterea dicatur copiosus, quod Apostoli plurimas Gentes ad veram veri Dei agnitionem & salutem æternam adduxerunt. Harm. Tom. III, vel Gerhard, Contin. pars tert.

rint. Sed fructuum nomen rectius generaliter accipitur, non solum de illis fructibus, quos Apostoli ut Apostoli in Evangelii per totum orbem propagatione protulerunt, quique fuerunt Apostolorum proprii: sed etiam de illis fructibus, quos Apostoli, ut verè credentes, ac per fidem Christi insiti, protulerunt, quos cum omnibus verè credentibus communes habuerunt, quia Christus in v. 5. generaliter dixerat: *Quicumq; manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*: ac ut prior pars antitheseos in vers. 6. proximè præcedente est generalis ad omnes infruetuosos palmites pertinens: *Si quis non manserit in me, ejectionis est foras sicut palmes, &c.* ita quoque posterior pars antitheseos, ad quam hic versiculus pertinet, generalis est ad omnes frugiferos palmites, id est, ad omnes verè credentes pertinens. Atque hic est præcipuus & principalis scopus, propter quem ad glorificationem Patris cœlestis per copiosi fructus productionem promovendâ discipulos suos Christus hoc loco remittit, videlicet ut exaggeratione hujus utilitatis ex fructificatione securæ ad constantem in se mansionem, hoc est, ad fidei constantiam eos exhortetur. Interim rectè additur: 1. quod Christus simul ad consolationem Apostolorum hæc dixerit: Non debet vos gravare labor in prædicatione Evangelii sustinendus, nec avertant vos mundi odia & pericula propter confessionem Evangelii subeunda, siquidem per hanc Evangelii prædicationem gloria Patris mei, ac proinde etiam mea gloria (quia Patris & Filii una est gloria) promovebitur, ac quo plures per Evangelii prædicationem ad fidem perduxeritis, eò magis Patrem meum glorificabitis. Theophyl. in hunc locū: *Si glorificatur Pater, dum vos fructum afferatis, utiq; suam gloriam non negliget, sed operabitur vobiscum, ut plus fructuum afferatis, quò magis glorificetur*. Hoc ipsum etiam in vestrum cedit commodum. Si enim Patrem meum vestro ministerio glorificabitis, etiam ipse vos vicissim glorificabit juxta promissionem, 1. Sam. 2. v. 30. *Quicumq; honorificaverit me, glorificabo eum*. 2. Quod tacitè Apostolorum objectioni occurrere voluerit. Potuissent Apostoli dicere: *Num etiam hic fructus, quem manentes in te proferemus, erit Deo gratus?* Respondet Christus, imo verò, quia per eum Pater meus cœlestis glorificatur, ideo non poterit non ipsi esse gratissimus. 3. Rupertus monet, Christum hanc rationem dare voluisse, quare dixerit, Patrem cœlestem erga manentes in se tam liberalem futurum, ut quicquid ab eo petierint, ipsi daturus sit, quia scilicet hac ipsa re Pater glorificetur, ut ipsi in se maneant. Non poterit Deus preces illorum repudiare, per quos ipsius gloria promoveretur. 4. Indicat etiam Christus causam sui desiderii, quare tantopere desideret, Apostolos & omnes credentes in se manere, nimirum quia per hoc, quod in se manent ac fructificant, Patris cœlestis gloria propagatur, id quod summo desiderio Christus expetit, Joh. 8, v. 49. *honorifico Patrem meum*, cap. 17, v. 4. *clarificavi te super terram*. Colligitur ex his verbis: 1. Quis debeat esse principalis finis & scopus in omnibus actionibus nobis propositis, videlicet gloria Dei, Matth. 5, v. 16. 1. Corinth. 10, 31. *Qui suam, non Dei gloriam quærit, à vero & proprio actionum sine aberrat*. 2. Hanc Dei gloriam promovemus per studium bonorum operum, proferendo enim fructus Deo placentes ipsum glo-



glorificamus, in quo etiam præcipuus Dei cultus consistit, Matth. 5, 16. 2. Cor. 4, 15. Phil. 1, 11. & c. 3. Summus enim Dei cultus, summus honor est, Evangelium fide amplecti, & ex fide bonorum operum fructus proferre. 3. Quia Deus per bona opera glorificatur, ideo etiam temporalibus & æternis præmiis largissimè ea remuneratur. 4. Quod excitare nos debet, ut non solum fructum, sed etiam copiosum fructum afferamus. Quo enim plura & majora ex fide bona opera facimus, eo plura & majora sequentur præmia. Quo uberior est N. T. gratia, quo majora Deus in nos contulit beneficia, eo etiam majus bonorum operum studium à nobis exigit. 5. Sicut Dei gloria per studium pietatis & bona opera promovetur: ita per impietatem & scelera ab eis, qui Christi nomen profitentur, commissa, eadem labefactatur, Esa. 52, 5. Ezech. 36, 23. Rom. 2, 26. 6. Ut ad promovendam Dei gloriam bonis operibus seriosè studere debemus: ita ob eandem nulla adversa, nulla pericula subterfugiamus. Deus enim non solum actionibus, sed etiam passionibus nostris glorificatur, Joh. 2, 19. 7. Quia præcipuè per prædicationem & propagationem Evangelii gloria Dei in his terris promovetur; ideo conservationem Ministerii pro virili nobis commendatam habeamus. 8. Ab hac Patris cœlestis per piorum bona opera glorificatione Filius non excluditur, sed ipse quoque per eandem glorificatur. Dixerat enim Christus paulo superius, v. 5. *sine me nihil potestis facere*. Quod si ergo fructus bonorum operum ab ipso descendit, utique à gloria Patris per bonorum operum fructus promovenda non est exclusus. 9. Interim tamen Patri, à quo in hunc mundum fuit missus, glorificationem tribuit, quia Patrem agricolæ comparaverat. Ulti ergo ex fructibus industria agricolæ innotescit, & gloria ejus promovetur: sic ex bonis operibus cœlestis agricola glorificatur, cum ipse per Spiritum sanctum fructus illos in piis efficiat, id quod bonitatem & benignitatem ejus demonstrat. 10. August. tractat. 82. in Joh. rectè monet: Si Christus Patri suo omnem gloriam adscribit, multò magis nobis convenire, ut bonorum operum gloriam ipsi unicè tribuamus. *Si in hoc, inquit, glorificatus est Deus Pater, ut fructum plurimum afferamus, non hoc gloriæ nostræ tribuamus, tanquam hoc ex nobis ipsis habeamus. Ejus enim hæc est gratia, & ideo hæc non nostra, sed ejus est gloria.*

*Tertia utilitas, quam Christus manentibus in se promittit, est veri discipulatus demonstratio. Et eritis mei discipuli.* Vulgata reddidit, *Et efficiamini mei discipuli*, quam versionem retinet Erasmus. Censet enim cum multis aliis, hoc membrum pendere adhuc à præcedentibus, & pertinere ad conjunctionem *iva*, hoc sensu: *In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli*, id est, ita demum gloria Patris mei per vos promovèbitur, si efficiamini mei discipuli, & fructum multum proferatis, quæ duo perpetuò debent esse conjuncta. Cum qua explicatione ferè consentit, quod quidam hoc membrum conjungunt cum *καρποφορησας*, hoc sensu: *Si multum attuleritis fructum, tunc demum mei eritis discipuli.* Sed hac ratione Christus dixisset *καὶ γενήσετέ ἐμοὶ μαθηταί*, ut cum conjunctione *iva*, & verbo *Φερίτε* illud conjungendum esse ostenderet. Et sanè in tribus codicibus legitur *γενήσετε*, quo modo etià Chrysostom. & Theophyl. legisse ex commentario apparet. Sed probatiorès & antiquiorès Codices legunt *γενήσεσθε*, *eritis* vel *efficiamini* mei discipuli. Nec ulla

cogimur necessitate, ut ab hac lectione discedamus, ac cum Maldonato versionem Latinam Græcis fontibus præferamus. Concinnius enim est statuere, novam hic inchoari sententiam, & novam proponi utilitatem sperandam illis, qui in Christo manserint, & in quibus verba Christi manserint, videlicet quod futuri sint veri discipuli Christi. Hanc interpretationem evidenter probat locus parallelus, Joh. 8, 31. Ut enim Christus ibi dicit: *Si in sermone meo manseritis, verè discipuli mei eritis*: ita hoc loco eodem modo promissionem suam informat. *Si verba mea in vobis manserint, eritis mei discipuli*, videlicet veri & genuini, ut patet ex Adverbio *ἀληθῶς* declarationis causa ibidè addito. Quia verò certum est, nos prius oportere fieri Christi discipulos, antequam in ipso manere & fructum ferre possimus, sicut palmitem oportet prius ex vite nasci, vel viti inseri, antequam in vite maneat & fructus ferat: ideo non de modo ac medio per quod discipuli Christi reddimur, hoc loco agitur, sed de modo ac ratione, quâ nos discipulos Christi esse declaramus. Ut enim Christus dicit Joh. 1, 33. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis invicem*: ita quoque hoc loco *καὶ γενήσεσθε* eodem modo intelligendum. *In hoc cognoscent omnes, quod sitis veri & germani mei discipuli, si in me manseritis, & fructum copiosum afferendo illud manifestum feceritis*, quia ad fructus illos etiam pertinet mutua dilectio, quo pertinet usitata regula, quod verba activa apud Hebræos sæpe accipiantur declarativè, Lev. 13, 13. 2. Sam. 15, 4. Job. 24, v. ult. Ezech. 13, 18. &c. quodque sæpius aliquid fieri dicatur, quando factum esse declaratur. Hanc utilitatem concinno ordine præcedentibus Christus subjungit, 1. Dixerat in versu præcedente: *Si verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis*. Huic respondet, quod dicit, *Et eritis mei discipuli*, scilicet ipso opere & in rei veritate, sicut estis professione & nomine, quia Verbum meum confitemini & prædicatis. 2. Dixerat: *In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum seratis*. Commodè igitur addit, *Et eritis mei discipuli*, quia quando agnoscimur veri discipuli Christi, tunc Pater cœlestis glorificatur. Ratio hæc est; quia Pater misit Filium in hunc mundum, non solum ob generis humani redemptionem, sed etiam propter Evangelii prædicationem. Quisquis ergo Evangelium, id est, doctrinam Christi fide recipit, & sic Christi discipulus redditur, ille Patrem glorificat, quia amplectitur doctrinam, quam Pater per Filium revelavit, sicque dat illi gloriam veritatis, Johan. 3, 33. 3. Dixerat, manentes in se debere fructum copiosum ferre. Commodè ergo subjungit, *Et eritis mei discipuli*. Ut enim bona arbor ex bonis fructibus, ita verus Christi discipulus ex fructibus bonorum operum cognoscitur, Matth. 7, v. 17. *Copiosum ferre fructum* est servare Christi præcepta, ut paulò post declaratur v. 10. Jam verò qui Christi præcepta servat, genuinum Christi discipulum sese demonstrat, quia discipulo convenit, & præcepta Magistri servare, & virtutes ejus imitari. 4. Christus à discipulis abiturus erat, meritò igitur hanc promissionem ipsis inculcat, quod etiam post suum abitum futuri sint genuini sui discipuli, modo in se maneat, & proferendis bonorum operum fructibus id ipsum testatum reddant. Colligitur autem ex his verbis 1. quod summa Christianorum gloria, summus honor, summum commodum sit, esse genuinum Christi discipulum, aliàs Christus hanc

hanc promissionem & utilitatem non conjungeret prioribus, videlicet necessariorum per preces impetrationi, & Patris cœlestis glorificationi. Quantum verò honor sit, & quantum afferat commodum, esse discipulum Christi, declarat ipsemet, quando Joh. 8. v. 31. & 32. dicit: *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, ubi duos insignes veri discipulatus recenset fructus, veritatis agnitionem, & à servitute peccati liberationem. 2. Nemo autem verus & germanus Christi discipulus censerì potest, nisi in Christo maneat, ac manendo in Christo fructificet, & fructificando Patrem cœlestem glorificet, Ef. 43. v. 21. *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* cap. 60. v. 21. *Populus tuus omnes justi in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae, ut glorificer.* Eph. 2. v. 10. *Ipsi sunt sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae preparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Alexander Magnus cum videret quendam adolescentem sibi ὁμοιωμοῦν flagitiosè se gerentem, dicebat ipsi: *Adolescens, aut nomen aut mores muta.* Idem à Christo dicitur omnibus, qui Christianorum nomen gerunt, & tamen Christianorum opera facere negligunt. *Non sunt nobis imitandi*, inquit Hieron. ad Celanc. *qui sub Christiano nomine gentilem vitam agunt, & aliud professione, aliud conversatione testantur, atq; ut ait Apostolus, Deum confitentur se nosse, factis autem negant.* Inter Christianum & Gentilem non tantum fides debet, sed etiam vita distinguere, & diversam religionem per diversa opera demonstrare. 3. Quemadmodum enim fides temporaria potest esse vera fides ratione essentia live existentia, non tamen est vera fides ratione permanentia, perseverantia, soliditatis, & firmitudinis fixa: Sic veri Christiani, sive discipuli Christi dici possunt, qui ad tempus credunt, sed postea à Christo deficiunt, ratione scilicet temporis & status praesentis, non ratione status finalis. Quintum & ultimum exhortationis argumentum petit Christus à proprio exempli claritate. *Sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & Ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Si quis diligenter hac exhortationis argumenta hactenus enumerata expendat, deprehendet, omnia omnino argumenta, quae in genere deliberativo Rhetores adhiberi praecipunt, à Christo adducta esse. Primum enim petitum est à jucundo: *Manete in me, & Ego in vobis.* Quid enim jucundius pio pectori obtingere posset, quam Christum in se manentem habere? Secundum à necessario: *Nisi manseritis in me, non poteritis fructum ferre; sin verò manseritis, fructum multum feretis.* Tertium à noxio sive damno: *Si quis in me non manserit, ejectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardet.* Quartum ab utili sive commodo: *Si manseritis in me, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis &c.* Quintum hoc & ultimum petitum est ab honesto: Aequum est, ut si veri & genuini discipuli Christi audire cupimus, ipsius vestigiis insitamus, ex quo etiam apparet ratio, cur hoc argumentum à proprio exemplo petitum proximè praecedentibus verbis, & eritis mei discipuli, subjungere voluerit. Quidam hic inchoant posteriorem pericopem exhortationem ad mutua dilectionem complectentem, cum Christus dicat: *Manete in dilectione mea.* Sed Christus hic nondum loqui-

tur de mutua piorum dilectione, sed de ea, quae piis cum Christo intercedit, nec loquitur de dilectione activa, quae pii Christum caput suum, ac sese invicem quasi membra diligunt: sed de dilectione passiva, quae ipsi à Christo diliguntur, ut postea ostendemus: ac verba illa in vers. 11. *Hec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat &c.* manifestè ostendunt, Christum adhuc versari in exhortatione ad perseverantiam in fide. Quidam existimant, haec verba non amplius esse exhortatoria, sed consolatoria, quibus Christus contra odia mundi, propter confessionem & praedicationem Evangelii subeunda discipulos armare voluerit, petito argumento à sua & Patris dilectione, id est, à praesentia, auxilio & defensione in omnibus periculis & adversis, & à felici successu in laboribus expectando, ut sit sensus: *Quemadmodum Pater ex immensa dilectione me in hunc mundum misit, non solum ad generis humani redemptionem, sed etiam ad Evangelii praedicationem, atque in hoc ministerio meo contra omnes hostium insidias & insultus me paternè ac potenter defendit: ita & ego ex immensa erga genus humanum dilectione & salutis humanae desiderio vos in universum orbem ad praedicandū Evangelium ablegabo, non autem destituam vos mea praesentia & auxilio, sed labores vestros faciam salutare, in omnibus periculis vobis adero, tuebtor vos contra omnes hostes, Joh. 20. v. 21. ut sic vos doctrinae meae custodes & praecones nulla vis hostium, nulla afflictio, nulla persecutio à me & caritate mea avellere possit.* Et sanè non negamus, dilectionem illam Christi, de qua hic agitur, ad ejusmodi consolationem accommodari posse, interim tamè ex toto contextu apparet, Christum suam erga discipulos dilectionem hoc loco exaggerare, non primariò & principaliter consolationis, sed exhortationis causà, statim enim subjungitur: *Manete in dilectione mea*, id est, quia tantoperè vos diligo, ideo ita vos gerite, ut dilectione illa, qua vos prosequi cœpi, constanter vos complecti possim. Quidam volunt, Christum hic enumerare beneficia, quae discipuli tanquàm palmites à se vite consequantur, quod scilicet suam dilectionem, & unà cum ea omnis generis spiritualia & cœlestia beneficia ab ipso participant, quemadmodum palmites à vite succum vitale trahunt, imo quod non solum à se vite, cui insiti sunt, sed etiam à Patre agricola, qui eos curet & purget, diligantur &c. Sed & hoc pro accommodatione potius expositi textus, quam pro genuina ejus expositione est habendū. Quod enim primariè ac principalis horum verborum scopus sit exhortari discipulos, ut constante & firma fide in se maneant, *manete in dilectione mea*, satis luculenter testantur. Persistit igitur Christus adhuc in exhortatione ad constantiam in fide, atq; argumentum à proprio suo exemplo petito discipulos ad eam hortatur. Ipsa argumenti *εργασία* tribus absolvitur membris. In primo dilectionem suam erga discipulos Christus exaggerat: *Sicut dilexit me Pater, ita & Ego dilexi vos.* Maldonatus statuit, haec verba pendere à sequentibus, ut prius comparationis membrum sit: *Sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos;* Posterius, *manete in mea dilectione.* Probat hanc suam sententiam ex eo, tum quod Christus hujusmodi comparationibus fuerit delectatus, Johan. 6. v. 57. tum quod Christus hoc loco id non agat, ut doceat, se à Patre diligì, aut discipulos diligere, sed ut discipulos ad se diligendum exhortaretur, ex quo colligit, hoc debere esse

præ-

principium membrum comparationis, manete in dilectione. In priore ergo comparationis membro duas declarari causas, propter quas discipuli manere debeant in sui dilectione, unam, quod se quoque Pater diligit, & equum sit, ut illi diligant, quem Pater tantoperè dilexerit; alteram quod ipse quoque eos diligit, & proinde reciprocum amorem sibi deberi: in posteriore comparationis membro subintelligendam particulam similitudinis *et* eos, sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos, sic manete in mea dilectione, Johan. 5. vers. 30. Sed hæc omnia procedunt ex illa hypothesi, quod Christus in verbis, manete in dilectione mea, agat de dilectione activa, quâ discipuli ipsum diligere debeant, cum tamen agat de dilectione passiva, quâ Christus ipsos diligebat, ut paulo post demonstrabimus. Rectius igitur dicitur, quod comparatio absolvetur in his verbis: Sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos, unde Erasmus particulam similitudinis *ita* disertè inferuit, ut sensus esset illustrior. Comparat enim Christus dilectionem suam, quâ discipulos complectebatur, cum dilectione, quâ Pater ipsum complectitur, ut eo magis illam exaggeret, & ex ea postmodum exhortationem suam deducat. Verba præteriti temporis, Pater me dilexit, Ego vos dilexi, juxta usitatum Hebraïsmum ponuntur pro præsentibus, Pater me diligit, & Ego vos diligo, vel certè absolventur ab omni tempore. Ut enim Pater Filium suum dilexit ab æterno, adhuc eum diligit, & in æternum diligit: sic Christus discipulos suos & omnes in se verâ fide manentes ab æterno dilexit, adhuc eos diligit, & in æternum eos diligit: Jerem. 31. v. 3. *Charitate perpetuâ dilexi te.* Joh. 13, 1. *Cum dilexisset suos, qui in mundo erant, in finem dilexit eos.* Quarunt hoc loco Interpretes, an Christus loquatur de se, ut homine, an verò ut Deo, hoc est, an loquatur de dilectione, quâ Pater ipsum complectitur, ut Filium suum unigenitum ex substantia sua ab æterno genuit, an verò de ea dilectione, quâ ipsum complectitur ut hominem, sive juxta assumptam naturam humanam? Plerique respondent, de dilectione, qua Pater cœlestis Christum ut hominem complectitur, hoc loco sermonem esse: Sed rectius dicitur, de illa dilectione, sermonem esse, qua Pater cœlestis Christum ut Deum & hominem complectitur. De illa namque dilectione sermo est, qua Pater cœlestis Christum complectitur ut dilectum suum Filium. Jam Christus est Dei Filius non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam; juxta divinam quidem essentialiter, juxta humanam verò personaliter. De illa dilectione sermo est, quâ Pater cœlestis complectitur Christum ut Mediatorem. Jam verò Christus est Mediator noster secundum utramque naturam. Neque est, quod quis metuat, hac ratione naturæ æqualitatem inter Christum & homines introduci, quia sufficit ad comparationem, quod Pater cœlestis Christum, qua hominem sive juxta humanam naturam, juxta quam nobis hominibus est *ὁμοῦσος*, diligere dicitur, etiamsi non addatur exclusiva, quod tantum secundum humanam naturam ipsum diligit. Augustinus tractat. 82. in Johan. *Non hoc æqualitatem naturæ ostendit nostræ & suæ, sicut est Pateris & ipsius, sed gratiam, qua Mediator Dei & hominum est homo Christus Jesus. Mediator quippe monstratur, cum dicit, me Pater, & Ego vos. Nam Pater utiq; diligit & nos, sed in ipso, quia in hoc glorificatur Pater, ut fructum afferamus in vite, hoc est, in Filio, & efficiamur ejus discipuli.* Cy-

rillus, lib. 10. in Joh. c. 20. *Quamvis semper diligitur ut filius, diligere tamen etiam cum carne scribitur, qui propterea homo factus est, ut genus humanum, quod propter prævaricationis crimen Deus oderat, ad dilectionem ipsius reduceret.* Idipsum, (quod videlicet de ardentissima dilectione, qua Pater Christum dilectum suum Filium Mediatorem inter Deum & homines constitutum diligit, quaque in Christo Mediatore credentes in eum non solum à Christo, sed etiam à Patre cœlesti diliguntur, Matth. 3. v. 17. Eph. 1. 6, hoc loco agatur) ostendunt singulorum verborum pondera. Christus enim non dicit, sicut diligit me Pater, ita & Ego Patrem diligo, quod optimo jure dicere potuisset, cum amore reciproco eoque ardentissimo Patrem diligentem complectatur: sed dicit, sic Ego vos diligo, quia principalis ipsius scopus erat docere, quod sit constitutus Dei & hominum Mediator, qui dilectionem & *ἐὐδοξίαν* Patris cum omnibus bonis cœlestibus ex illa promanantibus, & cum ea conjunctis in homines credentes vera fide sibi insitos quasi transferat, sicut canalis aquam ex fonte acceptam in areolas transfundit, ac sicut vitis curam & culturam agricolæ in palmites quasi transfert, ut quicquid ab agricola boni accipit, cum palmitibus ex se natis vel sibi insitis communicet. Nec simpliciter & indefinitè Christus dicit: Diligit me Pater, & Ego vos diligo, sed addit particulam similitudinis, *καθὼς*, sicut dilexit me Pater, ita & Ego diligo vos, ostendens, quod amor Patris cœlestis, quo Christum dilectum suum Filium complectitur, per illum, utpote constitutum Mediatorem in omnes verè credentes, utpote membra corporis ipsius & palmites hujus vitis propagetur, ut sic uno eodemque amore Pater cœlestis & Filium & credentes in eum complectatur, sicut agricola uno eodemque amore & vitem & frugiferos in vite palmites complectitur. Nec dicit Christus, sicut dilexit me Deus, sed sicut dilexit me Pater, ita & Ego dilexi vos, ostendens, dilectionem illam, qua Deus propter Christum Mediatorem credentes in eum complectitur, esse paternam, ac proinde ardentissimam, quod ipsum inculcentius apparebit, si expendamus, qua ratione Pater Christum diligit, & qua ratione Christus credentes diligit: Pater diligit Filium non solum ut Deum, quia per æternam ex substantia sua generationem ipsi omnia communicavit: sed etiam ut hominem, quia per unionem personalem ipsi ut homini omnia in manus dedit, quod ipsum tanquam effectum & consequens illius dilectionis cum ipsa dilectione arctissime conjungitur, Joh. 3. 35. ut Filius verè jam pronunciare possit: *Omnia mihi eradita sunt à Patre meo, Matth. 11. 26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit etiam Filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei faciendi judicium, quia Filius hominis est, Joh. 5. 26. 27. Omnia quæcumq; habet Pater, mea sunt, c. 16. v. 15. Pater glorifica Filium, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, cap. 1. v. 2. Pater etiam ita dilexit Filium, ut omnia ipsi nota fecerit, Joh. 15. 15. ut Angelos ministros ei addiderit, Matth. 4. 11. ut cum ipso fuerit in prædicatione Evangelii & opere redemptionis, Joh. 16. v. 32. ut miracula in ipso ac per ipsum fecerit, Joh. 14. v. 10. Act. 10. 38. ut contra omnes hostes ipsum defenderit, ut ipsum exaudierit, Joh. 11. 42. ut gloriam ejus asseruerit, Johan. 8. 50. ut ex morte ipsum salvum fecerit, Heb. 5. 7. ex mortuis ipsum eduxerit, cap. 13. 20. & ad dextram suam collocaverit, Eph. 1. v. 20. ac dede-*

rit ipsi nomen, quod est supra omne nomen, Philip. 2. v. 9. &c. Quare cum Christus ita nos diligat, ut Pater ipsum dilexit, cumque Pater cœlestis eodem amore in Christo nos complectatur, quo Christum dilectum Filium suum complectitur, ideo ab ejus dilectione eadem beneficia in nos descendunt, atque eadem ab illo sperare possumus, quod scilicet ex dilectione omne consilium de salute nostra in Verbo nobis patefecerit, Actor. 20. v. 27. quod Angelos ministros nobis addere velit, Hebr. 1. 14. quod nobiscum sit futurus in omni tribulatione, Psalm. 91. v. 15. & laboribus vocationis nostræ benedicturus, quod omnia opera in nobis velit operari, Esa. 26. v. 12. quod velit contra omnes hostes nos defendere, preces nostras exaudire, honorem nostrum asserere, ex morte nos salvos facere, ad vitam rescutare, & cum Christo in cœlestibus collocare, Eph. 2. v. 6. Et quia nominatim de dilectione, quâ Christus ut Mediator nos complectitur, hoc loco agitur, ideo huc pertinet, quod Christus nos dilexerit, ut animam suam in precium redemptionis pro nobis dederit, Matth. 20. v. 28. ac seipsum pro nobis tradiderit, Gal. 2. v. 20. ut donet nobis suam justitiam, 1. Cor. 1. 30. ut faciat nos membra corporis sui mystici, ut pascat nos proprio suo corpore & sanguine, ut non vereatur nos fratres appellare, Hebr. 2. 11. ut faciat nos gloriæ cœlestis coheredes &c. Hæc omnia Christus breviter complectitur, quando magnitudinem amoris sui erga nos exaggerans dicit: Sicut dilexit me Pater, ita & Ego dilexi vos.

In secundo membro repetit Christus exhortatoriam propositionem ex dilectionis suæ magnitudine deductam. Sicut Pater dilexit me, ita & Ego diligo vos, manete ergo in dilectione mea. Quod enim hæc particula illativa & sic hoc loco subintelligenda, docet connexionis series. Quidam nomen ἀγάπη; exponunt activè de illa dilectione, quâ Apostoli & omnes verè credentes Christum diligunt, Johan. 21. v. 15. 1. Petr. 1. 8. ut sit sensus: Cœpistis mihi per fidem & dilectionem adherere, videte modò, ut in dilectione mei perseveretis, qui enim perseveraverit usque ad finem, hic demum salvus erit, Matth. 10. 22. Quia ita vos diligo, ut Pater me diligit, ideo æquum est, ut me tantopere vos diligentem redametis, sicut etiam Johannes Apostolus 1. Epist. 4. 19. concludit: Nos diligamus Deum, quoniam Deus prior nos dilexit. Magis conveniebat (inquit Maldonatus) ut Christus discipulos hortaretur, ut se diligerent, quam ut à se diligerentur. Sed rectius accipitur passivè de dilectione illa, quâ Christus Apostolos & omnes in se verè credentes diligit, ut apparet 1. ex scopo. Christi scopus est exhortari Apostolos & omnes credentes ad constantiam in fide, in quo argumento ipsum adhuc occupari ostendit v. 11. quippe in quo demum ponitur exhortationis conclusio: Hec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur. Quando ergo hoc loco ipsos admonet, ut in sua dilectione maneat, requirit, ut pergant isthac Patris & sua dilectione constantem perfrui. 2. Ex propositione. Dixerat Christus in v. 4. Manete in me. Eandem exhortatoriam propositionem hoc loco repetit, quando ultimum exhortationis argumentum producit. Manete in dilectione mea, id est, firmâ & constanti fide in me manendo dilectionem meam erga vos retinete. 3. Ex verbis proxime præcedentibus. Præcedit enim immediatè: sicut dilexit me Pater, ita

& Ego dilexi vos, manete ergo ἐν τῇ ἀγάπῃ τῆ ἐμῆ. Syrus כחחמתי וילי, in mea illa dilectione, quâ ego vos prosequor. 4. Ex verbis immediatè sequentibus: Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & Ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione. Quemadmodum hic per dilectionem Patris intelligitur dilectio illa, quâ Pater Christum complectitur: ita per dilectionem Christi, in quâ Apostoli manere jubentur, intelligitur illa dilectio, quâ Christus Apostolos, & omnes in se credentes complectitur. 5. Ex phrasi. Sicut Roman. 11. 22. manere in benignitate est, manere in eo statu, in quo Deus per suam benignitatem aliquem constituit, ac fidem in Christum constanter retinere, in quo uno Dei bonitas & gratia apprehenditur: sic manere in dilectione Christi, est, manere in eo statu, in quem Christi dilectio aliquem constituit, ut sit sensus: Recepti estis à Deo in gratiam, quia fide Evangelium meum estis amplexi, ac diligi à me & Patre meo cœlesti cœpistis, hoc ergo vobis in posterum unicè debet esse curâ, ut in hac gratia Dei permaneat, ac à me & Patre meo cœlesti perpetuò diligamini. 6. Ex collatione locorum parallelorum. Quemadmodum Apostoli credentes exhortantur, ne in vacuum gratiam Dei receperint, 2. Cor. 6. v. 1. ne desint gratie Dei, Hebr. 12. 15. ne abiciant gratiam Dei, Gal. 2. 21. ne abiciant fiduciam suam, Hebr. 10. 35. sed fiduciam & gloriationem spei usq; ad fidem firmam retineant, Hebr. 3. v. 6. ita quoque hoc loco Christus Apostolos suos hortatur, ut maneat in dilectione sua, id est, ut firmâ & perseverante fide amplectantur Evangelium, ejus puritatem incorruptam retineant, ac firmiter statuunt, se à Christo verè diligi, exaudiri, defendi, juvari, &c. atque ita se gerant, ne gratiâ Dei, & dilectione Christi excidant. 7. Ex veterum suffragio. Augustinus, tractat. 82. in Johann. Quod ait, manete in dilectione mea, non apparet, quam dixerit dilectionem, utrum quâ eum diligimus, an quâ ipse diligit nos, sed ex verbo superiore dignoscitur. Dixerat quippe, & Ego dilexi vos, cui verbo continuè subjunxit, manete in dilectione mea, illa ergo, quâ dilexit eos. Quid est ergo, manete in dilectione mea, nisi, manete in gratia mea? Et quid est, si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, nisi, ex hoc scietis, quod in dilectione mea, quâ vos diligo, manebitis, si præcepta mea servaveritis. Cyrillus in hunc locum: Manete in dilectione mea, id est, omni studio, curâ, operâ, sic à me diligi conari debetis, ut Ego à Patre diligor. Hæc omnia ostendunt, Christum propriè & principaliter hic non agere de dilectione activa, quâ discipuli ipsum porro diligere debeant, sed de dilectione passiva, quâ discipuli à Christo diligebantur, quæ Rom. 8. 39. vocatur caritas Dei in Christo Jesu, Domino nostro, id est, quâ Christus credentes complectitur, & quâ Pater cœlestis propter Christum dilectum suum Filium eosdem diligit. Quod si hoc loco propriè & principaliter non agitur de illa dilectione, quâ Apostoli Christum complectebantur, multò minùs hic agitur de dilectione illa, quâ Apostoli sese invicem complectebantur, ac si esset sensus: Sicut Ego & Pater vos diligim⁹, ita debetis vos invicè diligere, manete ergo in caritate mea, quam toties ac tantopere vobis commendavi, quò aliqui accommodant illud, quod Christus præceptum dilectionis vocet suum præceptum. Atqui Christus hoc loco nondum agit de dilectione Apostolorum mutuâ, ad quam

in

in vers. 12. demum eos exhortari incipit, sed de constantia in fide, per quam in dilectione Christi manere possint ac debeant.

In tertio membro præscribit rationem ac modum, juxta quem in dilectione sua manere debeant. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & Ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Quidam hoc accipiunt de dilectione activa, quæ Christus Patrem suum cœlestem complectitur, ut sit sensus: Si verè & ex animo me diligitis, non nudis verbis, sed observatione meorum præceptorum hoc testatum reddere debetis, sicut etiam Ego non nudis verbis, sed observatione præceptorum testatum reddidi, me diligere Patrem, quod congruit cum exhortationibus præcedentis capitis: *Si diligitis me, mandata mea servate*, Joh. 14, 15. *Qui habet mandata mea & servat illa, ille est, qui diligit me.* vers. 21. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, & cum admonitione Apostolica 1. Joh. 3. v. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Juxta hanc explicationem Christus certum aliquod veræ dilectionis signum hic proponeret, videlicet observantiam præceptorum, ut quemadmodum ipse mandata Patris sui servando suam erga Patrem dilectionem testetur, ita quoque discipuli mandata Christi servando suam erga Christum dilectionem testatam reddere debeant. Theophylactus, in hunc locum: *Docet eos, quomodo poterint manere in dilectione, nimirum si mandata servaverint. Nam ille est, qui diligit eum, qui mandata ejus servat.* Sed superius ostendimus, tum exhortationem præcedentem, *manete in dilectione mea*, de dilectione passiva, quæ Christus Apostolos suos complectebatur, tum etiam hoc ipsum membrum de eadem esse intelligendum, ac proinde in altero comparationis membro Christus loquitur de dilectione, qua Pater ipsum complectitur, non, qua ipse Patrem. Augustinus, dicto loco: *Utique etiam hic hanc dilectionem Patris intelligi voluit, quæ eum diligit Pater. Ita quippe dixerat: Sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos, atq; his verbis illa subjunxit: Manete in dilectione mea, illa procul dubio, quæ dilexi vos. Ergo quod ait etiam de Patre, maneo in ejus dilectione, illa scilicet accipiendum est, quæ diligit eum Pater.* Cyrillus in hunc locum: *Causam attulit, quare ipse jure à Patre diligatur, quia mandata ejus servavit, ut nos quoque, si volumus in dilectione sua manere, mandata sua diligenter servemus.* Atque ex eo jam apparet nervus argumenti hujus ultimi, quo Christus ad constantiam in fide, sive quod idem est, ad constantem in dilectione sua mansionem Apostolos hortatur, quod sic formari potest: Quicumque summo studio curare debent, ut maneat in dilectione mea, illi etiam præcepta mea servare, id est, in fide constanter perseverare debent. Vos Apostoli mei summo studio curare debetis, ut in dilectione mea maneat. Ergo etiam præcepta mea servare, id est, in fide constanter perseverare debetis. Major propositio nititur hoc fundamento, quod hæc duo arctissime sint invicem connexa, *manere in dilectione Christi, & servare præcepta Christi*, id quod Christus proprio suo exemplo probat, hoc modo: *Qua ratione ego maneo in dilectione Patris, ea etiam vobis manendum in dilectione mea, quia, sicut Pater me dilexit, ita Ego vos dilexi.* Jam verò Ego ea ratione maneo in dilectione Patris, ut servem illius præcepta. Ergo etiam vobis ea ratione in dilectione mea manen-

dum, ut servetis mea præcepta. Minor propositio confirmatur exaggeratione dilectionis, qua Christus Apostolos complectebatur, hoc modo: *Quæ dilectio est summa & maximè vobis salutaris, in ea ut maneat, summo studio curare debetis.* Jam verò dilectio, quæ vos complector, est summa & maximè vobis salutaris, quia sicut diligit me Pater, ita & Ego diligo vos. Ergo ut in mea dilectione maneat, id est, in vera fide constanter perseveretis, summo studio curare debetis. Ex quo apparet, tria illa hujus argumenti membra optimo ordine sese mutuo consequi: 1. Summoperè, inquit, Christus, vos diligo, quia sicut Pater me diligit, ita & Ego vos diligo. Nemo autem dubitare potest, quin Pater summo amore vos complectatur: 2. Quia ergo summopere vos diligo, ideo manete in illa mea dilectione. 3. Ita verò in dilectione mea manebitis, si præcepta mea servaveritis, quia etiam Ego ita maneo in dilectione Patris, ut præcepta ejus servem. Cum vos ea ratione diligam, qua Pater me diligit, ideo eadem ratione in mea dilectione manere debetis & poteritis, quæ Ego in dilectione Patris maneo. Jam verò ego ea ratione in dilectione Patris maneo, ut servem ejus præcepta. Ergo etiam vos ea ratione in dilectione mea manere poteritis ac debetis, ut mea præcepta servetis. Sicigitur in ipsis repetita exhortationis verbis latet persuasivum argumentum: *Manete in mea dilectione*, id est, firma & constante fide mihi adherere pergite, in studio pietatis & observantia præceptorum meorum perseverate, ita manebitis in dilectione mea, quam esse hujus exhortatorie propositionis sententiam, subiecta *ἐξ ἧς ἡσθε δεκταί* declarat. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione.* Sicut in verbis, *manete in dilectione mea*, Christus explicaverat exhortatoriam propositionem initio propositam, *manete in me*: ita in verbis, *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*, explicat exhortatorie propositionis repetitionem, quid scilicet sit, *manete in mea dilectione*. Præcepta enim Christi à manentibus in dilectione Christi observanda sunt duorum generum, quædam, ut sic loquar, sunt passiva, quæ Pater cœlestis Christo perficienda dedit, quod videlicet debeat in assumta carne pati, mori, resurgere &c. & hac ratione pro peccatis totius humani generis satisfacere; quod debeat perfectam Legi obedientiam præstare, & hac ratione amissam per lapsum protoplastorum justitiam & bona cœlestia humano generi reparare; quædam verò, ut sic loquar, sunt activa, quæ scilicet nobis observanda præscripsit, quod debeamus Deum & proximum diligere, Evangelium intrepidè confiteri, odia mundi fortiter sustinere, in patientia animas custodire, nos ipsos abnegare &c. Ergo ut servemus Christi præcepta, requiritur, ut credamus, Christum in assumta carne passione & morte sua pro peccatis nostris perfecte satisfecisse, ac Legi divinæ pro nobis seipsum sponte subjecisse, sicque perfectam justitiam nobis adduxisse, atq; ex fide illa Deum & proximum diligamus, Evangelium intrepidè confiteamur, odia mundi fortiter sustineamus, in patientia animas nostras custodiamus, & nos ipsos abnegemus &c. sicut hæc duo ab Apostolo conjunguntur, 1. Johan. 3. vers. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, & diligamus invicem, sicut dedit mandatum nobis: ac Christus ipse paulò post addit vers. 12. Hoc est præceptum*

ptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos, manifeste ostendens, mandatum mutuae dilectionis esse quasi epitomen omnium Christi praeceptorum, cum vera dilectio praequirat veram in Christum fidem, Gal. 5, 6. ac sit totius Legis impletio, Rom. 13, 10. uti suo loco plenius demonstratur. Augustinus hic movet quaestionem, quomodo Christus dicere possit, si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, cum tamen praecepta Christi non possimus servare, nisi Christum prius diligamus, ad quam respondet, non de causa dilectionis, sed de ejusdem signo & testimonio hic agi. *Dilectio (inquit) facit praecepta servare, an praecepta servata faciunt dilectionem? Sed quis ambigat, quod dilectio praecedit? unde enim praecepta servet, non habet, qui non diligit. Quod ergo ait, si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, ostendit, non unde dilectio generetur, sed unde monstratur. Tanquam diceret: Nolite vos putare manere in mea dilectione, si non servaveritis praecepta mea, si enim servaveritis, manebitis; hoc est, hinc apparebit, quod in dilectione mea manebitis, si praecepta mea servaveritis. Nemo se fallat dicendo, quod Eum diligit, si praecepta eius non servat. Nam in tantum Eum diligimus, in quantum praecepta eius servamus: in quantum autem minus servamus, minus diligimus. Hæc recte quidem dicuntur, quia petita sunt ex Joh. 13. v. 35. 1. Joh. 3. v. 14. Jac. 2. v. 18. sed ab hoc loco sunt quodammodo aliena, procedunt enim ex hypothese illa, quam ipsemet Augustinus ibidem repudiatur, quod Christus hic loquatur de dilectione activa, quæ credentes Ipsum diligunt, cum loquatur de dilectione passiva, quæ credentes à Christo diliguntur. Illud igitur hoc loco potius explicandum, quomodo per observationem praeceptorum Christi dicamur manere in dilectione Christi, cum à Christo prius diligamur, quam praecepta eius servemus, vel etiam servare possimus? Respondemus autem, 1. Christum nequaquam dicere: *Si praecepta mea servaveritis, Ego vos diligam, sed manebitis in dilectione mea.* Ergo observantia praeceptorum non est, nec esse potest causa, propter quam à Christo diligamur, sed requiritur tantum ab illis, qui in Christi dilectione manere, & gratiam, quæ præter omne meritum ipsis primum obtigit, immotam servare cupiunt. Sicut Christus superius dixerat vers. 5. *Qui manet in me, hic fert fructum multum, ubi fructificatio non statuitur causa mansionis in Christo, sed ejus effectum, consequens, signum & necessarium requisitum, siquidem palme non ferens in Christo fructum, tollitur vers. 2. sic hoc loco dicit: Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, ubi praeceptorum observatio itidem non statim causa mansionis in dilectione Christi, sed ejus effectum, consequens, signum & necessarium requisitum. 2. Per id servare praecepta Christi præcipue intelligitur firma ac perseverans in Christum fides, ut paulò antè ostendimus. Jam verò ut per fidem Christo veræ viti tanquam palmites primum inserimur, ita quoque per eandem in Christo manemus, & Christus manet in nobis, unde per fidem Christus in nobis vivit, Gal. 2. v. 19. & habitare dicitur, Ephes. 3. v. 17. quò etiam respicit Apostolus, quando Rom. 11. v. 20. nos fide stare asserit. Rectè igitur Christus dicere potuit: *Si praecepta mea servaveritis, id est, perseverante fide mihi adhæseritis, manebitis in dilectione mea, cum quo congruit illud Apostolicum, 1. Petr. 1. v. 5. quod virtute Dei per fidem***

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

custodiamur in salutem. 3. Quia verò per id servare Christi praecepta, non tantum perseverantia in fide, sed etiam studium pietatis & bonorum operum intelligitur: idè non tam de medio, per quod in Christo, & ejus dilectione manemus, quam de necessario requisito illius mansionis hic agitur, quid requiratur ab illis, qui in Christo & in Christi dilectione manere desiderant, videlicet quòd debeant in fide & studio pietatis constanter perseverare, ac à voluntariâ praeceptorum Christi transgressione sibi temperare, ne gratiâ Dei & dilectione Christi, cujus per fidem participes facti sunt, iterum excidant. Ut autem ad hanc in fide perseverantiam, & constans bonorum operum studium discipulos eò fortius impellat, proponit ipsis suum ipsius exemplum. *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & Ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Copulativa & ponitur hoc loco αὐτοδουλιῶς pro particula causali quia, Gen. 20. v. 4. Pl. 60. v. 12. Pl. 108. v. 13. Ec. 39. v. 1. 1. Joh. 1. v. 2. &c. exponitur enim causa, propter quam necessarium sit, ut praecepta Christi servent, qui in ejus dilectione manere cupiunt, nimirum quia etiam ipse praecepta Patris servando in ejus dilectione maneat. Cum ergo talis sit ipsius erga nos dilectio, qualis est Patris erga ipsum, idè æquum ac congruum esse, ut eodem modo studeant in ejus dilectione manere, quo ipse maneat in dilectione Patris, videlicet servando praecepta. Particulam καὶ quidam volunt hoc loco significare equalitatem, cum aliàs tantum similitudinem notet, siquidem Christus de se ut homine, sive secundum humanam naturam loquatur, juxta quam est nobis æqualis & ὁμοῦς. Sed Rupertus in hunc locum rectius docet, non equalitatem vel obedientiam vel dilectionis requiri, cum in hujus vitæ infirmitate nullus hominum eam possit assequi, sed duntaxat quantulamcunq; similitudinem & imitationem. Per praecepta à Patre servanda sibi tradita, intelligit omnia, quæ ad officium Mediatorium, propter quod in hunc mundum missus fuit, requirebantur, videlicet quod non solum Evangelii doctrinam debeat prædicare, sed etiam passione & morte suâ genus humanum redimere; hæc Patris sui praecepta Christus servavit, quando Patrem super terram doctrinâ & miraculis clarificavit, ac consummavit opus, quod Pater ipsi dedit ut faceret, Joh. 17. 4. quando humiliavit seipsum factus Patri obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. 9. Quod si ergo nomen praeceptorum proprie accipitur pro mandato à superiore præscripto, tum de Christo secundum humanam tantum naturam intelligendum, sicque ut homo praecepta Patris servare dicitur, quia secundum humanam tantum naturam Patre est inferior, secundum divinam verò ipsi æqualis. Chrysostomus in hunc locum: *Rursum humano more loquitur. Neg enim Legislatorem Legi subditum esse oportet.* Theophyl. hoc loco: *Hoc attemperans se audientium infirmitati dicit. Non enim qui omnium est Legislator, mandatis obnoxius, & sine paternis mandatis vivere non potest suam vitam. Hoc enim cogitare fuerit absurdissimum.* Quòd si verò mandati nomine generaliter accepto intelligitur voluntas Patris & officium ipsum Mediatorium ex Patris voluntate susceptum, ut & actiones deavde καὶ ad Mediatorium officium pertinentes; tum de Christo secundum utramque naturam intelligendum, quod praeceptum Patris servet, quia voluntas

D d d d d

luntas

luntas Christi secundum divinam naturam essentialiter est eadem cum aeterna illa Patris coelestis voluntate, ac Mediatorium officium, ut & actiones *θεωδεσμων* ad illud pertinentes, non secundum humanam tantum, sed secundum utramque naturam Christo competunt. In verbis *αυτος εν τη αγαπη* est quaedam trajectio huic Evangelistae usitata, Joh. 13, 29. *maneo in ejus caritate*. Syrus reddidit, *בְּחַוְבָּה*, in ejus dilectione. Ceterum hoc suum exemplum Christus ideò discipulis suis, & sub ipsorum persona, omnibus credentibus in ipso manere desiderantibus ideò proponit, 1. ut ostendat, se jure præcipere posse, ut præcepta sua servemus, cum quod aliis præscribit, ipse prior fecerit, hoc est, præcepta Patris sui servaverit, Luc. 24, 19. Act. 1, 1. 2. Ut doceat, obedientiam Patri coelesti à se præcipi non esse tantum meritum, sed etiam exemplum ad imitationem certo modo credentibus propositum, Phil. 2, 5. 1. Petr. 2, v. 21. &c. 3. Ut innuat, exemplum in sua obedientia credentibus propositum, esse absolutissimum & perfectissimum. Quæ enim pro norma ac regula alicui proponuntur, ea oportet absolutam habere perfectionem. 4. Ut ostendat summam æquitatem hujus præcepti, quo obedientiam à credentibus requirat, argumento à majori ad minus ducto. Quod si enim Christus seipsum sponte humiliavit Patri obediens factus, cum potuisset esse omnium Dominus; quanto magis nobis convenit, ut obedientiam multis nominibus debitam Patri coelesti & Christo Salvatori nostro præstemus? 5. Ut mundi odia & imminentem crucem ipsis tacite insinuet. Non est, quod cogitatis, omnia in mundo vobis prosperè cessura, omnes homines vos manibus quasi gesturos. Pater meus diligit me, & Ego servando ejus præcepta maneo in ejus dilectione, nihilo tamen minus cruci & odio mundi me objicit: ita quamvis Ego vos diligam, vosque servando mea præcepta in dilectione mea sitis mansuri, tamen nec crucem nec mundi odia effugietis. Chrysostomus hom. 75. in Johan. *Ne dicerent, omnium nudi deserimur, in me, inquit, respicite, diligit me Pater, & tamen hæc mihi subeunda proponuntur. Non igitur Ego vos, quia non diligam, in presentia relinquo, nam si Ego morior, nec tamen propterea non amari à Patre conjecluram facio, neque vos perturbari oportet. Si in dilectione mea manebitis, nihil vobis horum nocere poterit.* 6. Ut consolationem contra crucem ipsis suppeditet. Quamvis mundus me persequatur, & Deo extremè exosum statuat, tamen certus sum me manere in ipsius dilectione, cum præcepta ejus, ut ut videantur ardua ac difficilia, quippe mortem crucis mihi imponentia, servem: ita quoque quamvis mundus vos persequatur, & Deo extremè exosos judicet, tamè certi esse potestis, vos manere in mea dilectione, cum præcepta mea in prædicatione Evangelii, in perseverantia fidei, & studio pietatis servetis. Colligitur autem ex hoc ultimo exhortationis argumento, 1. Quod Christus omnes verè credentes summo & ineffabili amore prosequatur, si quidem ita diligit eos, ut Ipse à Patre diligitur, quo nihil quicquam dulcius, nihil jucundius cordi pio & contrito nunciari potest. Quid enim ulterius desiderare possumus, si certi sumus, nos ita à Christo diligi, ut Ipse à Patre diligitur, quam nemo dubitare potest, esse summam & ineffabilem dilectionem? Est quidem in eo discrimen aliquod, quod Pater coelestis Christum ut Deum diligit per naturam, quia

scilicet ex ipsius essentia ab aeterno genitus est eisdem cum ipso natura: credentes autem diligit per gratiam, ut adoptivos suos filios; quodque Christum ut hominem diligit per gratiam unionis, quia scilicet humana ipsius natura in ipsam *λογος* *σωσων* est evecta: credentes autem diligit per gratiam adoptionis, quia in Christo dilecto suo filio eos in filios recepit. Lyranus in hunc locum: *Diligere est, bonum alicui velle. Deus autem Pater vult bonum divinum Christo homini, non solum secundum unionem, quæ est per operationem in fruitione boni vera, sed etiam secundum realem unionem suppositi: fidelibus autem vult bonum divinum tantum secundum unionem gratiæ & gloriæ, quæ est in fruitione, nec tamen ita perfectè fruuntur sicut anima Christi: unde etiam Syrus de dilectione, quæ Christus nos complectitur, utitur voce *הוֹבִיב* in vers. 9. sed de dilectione, quæ Pater ipsum complectitur, utitur voce *הוֹבִיב* vers. 10. in eo tamen est convenientia, quod quemadmodum Pater coelestis Christum dilexit ab aeterno, ita quoque Christus & in Christo ac propter Christum Pater coelestis etiam nos ab aeterno dilexerit, Eph. 1, v. 4. Quemadmodum Pater coelestis diligit Christum verè, sincerè & ineffabiliter: ita quoque Christus & in Christo ac propter Christum Pater coelestis nos verè, sincerè & ineffabiliter diligit. Quemadmodum Pater coelestis ex dilectione omnis generis beneficia in Christum hominem contulit: ita Christus & in Christo Pater coelestis ex dilectione omnis generis beneficia in nos confert. Quemadmodum Pater coelestis Christum constanter & in aeternum diligit: ita quoque Christus, & in Christo Pater coelestis constanter & in aeternum nos diligit, unde Syrus de dilectione, quæ Pater Christum, & quæ Christus nos complectitur, in vers. 10. utitur unâ eademque voce *הוֹבִיב*. Ex quo fundamento verè credentes efficacissimam consolationem in cruce ac morte, uti etiam in tentationibus de perseverantiâ & salutis certitudine petere possunt. Quemadmodum enim Christus ab externa crucis & mortis specie oculos ad interiore paternæ dilectionis flammam convertit: ita & nos à tristissima crucis & mortis specie ad ardentissimam dilectionem, quæ Pater coelestis in Christo Mediatore dilecto suo Filio nos complectitur, convertere debemus. 2. Interim nostrum est, in illa dilectione Christi manere, ac summo studio cavere, ne illius nos ex ortes reddamus. Christus non dicit, curate, ut maneat mea dilectio, sed, ut vos in mea dilectione maneatis. Ex parte enim Christi nullum imminet variationis & amissionis periculum, sed ex parte nostra. Christus, quos semel amore complecti cœpit, eos constanter in finem usque diligit, Joh. 13, v. 1. ex se & ex absoluto quodam odio non mutat, nec subtrahit suum amorem: nos verò ab ejus amore nos avertere possumus, perinde ut Solis splendor oculis hominum toto die sese ingerit, sed homines ab eo sese sponte quandoque subtrahunt. Iren. lib. 4. cap. 76. *Lumen non deficit propter eos, qui semetipsos excœcaverunt, sed illo perseverante, quale & est, excœcati per suam culpam in caligine constituntur, &c. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine, qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant, ita ut ipsi sibi causa fiant, quod desituntur à lumine, & inhabitant tenebras, & non lumen est causa hujusmodi conversionis, (aliàs conversationis) sic aeternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi**

sibi causa sunt, ut aeternas inhabitent tenebras, desituti omnibus bonis sibi met ipsi causa hujusmodi habitacionis facti. Non ergo sufficit Christo adherere, & ab ipso amari coepisse, sed requiritur insuper, ut in ejus dilectione maneamus. 3. Ut autem in Christo maneamus, ad illud requiritur, ut praecepta ipsius servemus, hoc est, ut in vera fide & serio pietatis studio constanter perseveremus. Quemadmodum enim Christus servando praecepta Patris mansit in Patris dilectione: ita & nos servando praecepta Christi manere poterimus in dilectione Christi. Praeceptorum Christi observatio non tantum est evidens signum, quod Christum verè diligamus, id quod in praecedenti capite aliquoties discipulis suis & nobis omnib<sup>9</sup> inculcavit: sed etiam est evidens signum, quod à Christo verè diligamur. 4. Non tamen hoc accipiendum de causa meritoria, quasi nostrà obedientia promereri possimus, ut à Christo diligamur, cum obedientia illa sit imperfecta, multis navis contaminata, ac Christo jam antè multis nominibus debita: sed loquitur Christus de necessario requisito, quid ab illis, qui in gratia Dei & dilectione Christi manere expetunt, requiratur, videlicet quod praecepta Christi servare debeant. Quia enim Christi praecepta non sunt humano arbitrio excogitata, sed ex sinu coelestis Patris prolata, & ipsius voluntatem revelant: ideo quisquis ea servat, manet in Christi & Patris coelestis dilectione. 5. Ut enim inter dilectionem, quã Pater coelestis Christum diligit, & quã Christus credentes diligit, est aliquod discrimen superius expositum: ita quoque in obedientia, quã Christus praecepta Patris sui servat, & inter obedientiam, quã credentes Christi praecepta servant, evidens aliquod discrimen animadvertitur. Obedientia Christi Patri praestita, est numeris & gradibus omnibus perfecta: nostra verò est multis modis imperfecta, ac studio potius servandi praecepta, quàm perfectã praeceptorum observacione definitur. Obedientia Christi est omnib<sup>9</sup> modis pura & munda, nullã, ne minimã quidẽ peccati labe contaminata: sed nostra obedientia multis peccatorum fordibus inquinatur, quam imperfectiorem & immunditiem obedientiae piorum adhaerentem Deus ex gratia credentibus in Christum condonat ac propter Christum tegit. Obedientia Christi non tantum est exemplum, sed etiam meritum, cum sit non solum perfectissima & purissima, sed etiam ipsius Filii Dei *θεωσέωμεν*, non nudi hominis obedientia, per quam pro inobedientia primi hominis perfectissime est satisfactum, Rom. 5, 19. Adam enim non manserat in dilectione Dei, quia non servavit ejus praeceptum; sed Christus mansit in dilectione Patris, quia praecepta ipsius inviolatè & constanter servavit, quae obedientia est plenissima pro primorum parentum & nostra inobedientia satisfactio. Nostra autem obedientia cum sit imperfecta & immunda, ideo non potest esse meritoria. Christi obedientia est perfectissimum & absolutissimum exemplar, quia nullus in ea defectus: nostra obedientia quamvis aliis exemplum esse possit, tamen non est perfectum & absolutum exemplum, unde cum Apostolus dixisset: *Esote imitatores mei*, statim subjunxit: *sicut ego Christi*, I. Cor. 11, 1. Christus obedientiam suam eà ratione ad imitationis exemplum nobis proponit, ut non solum exterius illud nobis ob oculos statuat, sed etiam justiciam suam obedientiã illã partam fide nobis imputet, & per

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

Spiritum sanctum Legem cordi nostri interius inscribat, ut vestigiis illius obedientiã insistere ex animo desideremus, Jer. 31. v. 33. hac ratione & hoc modo nullius sancti obedientia ad imitationis exemplum nobis proponitur. Quando ergo Christus dicit: *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & Ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in ejus dilectione*, tum istud non est extendendum ultra comparationis tertium, sed in eo subsistendum, quod quemadmodum Christus servando Patris sui praecepta in dilectione Patris mansit: ita & nos servando Christi praecepta in ejus dilectione manere debeamus.

Sequitur tandem *tertia & ultima pars exhortationis*, videlicet ejusdem conclusio. *Hec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur.* Pro *μεών* quidam Codices legunt *ἦ* sit, quo modo etiam Syrus & Latinus Interpres legisse videntur. Sed usitata lectio, quae habet *μεών*, magis congruit cum praecedentibus, in quibus verbum *μεέω* decies fuit repetitum. Quidam statuunt, Christum adhuc versari in explicatione ultimi argumenti, ac causam exponere, propter quam dilectionem suam erga discipulos exaggeraverit, videlicet ut vero ac solido gaudio, quod ex sensu illius dilectionis promanat, Apostoli perfruantur, quod ipsum etiam habeat vim novi argumenti, itidem ab effectu ducti. Si vultis solido gaudio perfrui, debetis mea praecepta servare. Sed illud dubio procul desideratis. Ergo nec hoc negligere debetis. Quidam existimant, Christum occurrere voluisse discipulorum terrori, qui in animis ipsorum oboriri poterat ex eo, quod dixerat vers. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollit, ut sit sensus: Quod de excisione infrugiferorum palmitum dixi, non debet vos nimio opere terrere, quia non ad terrorem, sed ad gaudium vestrum illud dixi, cum hac comminatione vestram salutem promovere desiderem.* Cyrillus in hunc locum: *Vitis & palmitum, qui abscinduntur, & in ignem mittuntur, exemplo non mediocrem ipsis immisit fortitudinem &c. ideo à morore ad leticiam eos revocat.* Non enim, inquit, o discipuli, ut metu exagitemini, haec à me dicta sunt, sed ut gaudium meum habeatis. Quidam putant, Christum hoc sine illud proximè praecedentibus subjecisse, ne discipuli cogitarent, Christum praceptorum suorum observacionem tantopere inculcare propter bonum aliquod ipsius Christi proprium, ut sit sensus: Ideò à vobis praceptorum meorum obedientiam requiro, ut quemadmodum ego ex observacione praceptorum Patris mei maximum percipio gaudium, ita quoque vos ex meorum praceptorum observacione maximum gaudium percipiat. Sicut servando praecepta mea imitabimini me praecepta Patris mei servantem, ita gaudium, quod percipio ex illa praceptorum paternorum observacione, derivabitur in vos praecepta mea servantem. Chrylostomus homil. 76. in Joh. ejusmodi profert connexionem: *Cum discipuli ipso accepto gavisi inde propter passionem & verborum molestiam tristitiam concepturi essent, post debitam doctrinam & consolationem: Haec, inquit, locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, hoc est, ne discedatis à me, neve à cursu desistatis. Gavisi estis in me, & quidem vehementer, sed incidit tristitia, hanc eximam, ut ad finem usque letitia perduret, ostendens*

D d d d 2

in



in presentibus non merorem, sed letitiam capiendam. Ids ego perturbatos vidi, non contemsi, non dixi, cur non perseveratis in fortitudine? sed vos consolatus sum, & hanc dilectionem meam volo perpetuò servetis. Audistis de regno, gavisti estis, ut impleatur letitia vestra, hæc locutus sum vobis. Hæc omnia de scopo horum verborum minus principali tolerabiliter dicuntur, interim primarius & principalis eorum scopus in eo consistit, quod Christus præcedentem exhortationem iisdem concludere ac finem exponere voluerit, propter quem tam seriò ac graviter eos exhortatus fuerit, ut in se & dilectione sua manerent, nimirum ut gaudium suum in ipsis maneat, & gaudium ipsorum impleatur. Hunc enim esse principalem horum verborum scopum, patet tum ex verbo μένειν, tum ex eo, quod Christus postea ad novam exhortationem de mutua dilectione transitum facit. Quidam statuunt, pronomen ταῦτα accipiendum esse de omnibus illis, quæ toto ministerii sui tempore ad Apostolorum instructionem & consolationem Christus protulerat. Quod me dixi lucem, vitam, fontem, panem vivum, ostium, pastorem, viam, resurrectionem, veritatem, vitam, &c. quod me docui esse unigenitum Dei Filium Patri æqualem ac promissum Messiam, humani generis redemptorem, quòd de mea & Patris dilectione roties vobis concionatus sum &c. hæc omnia eò spectant, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, ut quietem conscientia in hac, & perfectionem latitiæ in futura vita percipere possitis. Sed rectius dicitur, Christum primariò & principaliter respicere ad proximè præcedentem exhortationem, ut patet ex verbo μένειν. *Istæc*, videlicet quod in me & dilectione mea manere debeatis, eo fine locutus sum, id est, loquor sive præcipio vobis, præteritum enim juxta usitatum Hebraismum pro præterito ponitur, ac verbū λαλέω pro præcipere phrasi Hebræâ quandoque usurpatur, Act. 9. v. 6. cap. 10. v. 6. ut gaudium meum in vobis maneat. Ac probè notandum, quod in sequente capite Christus eodem modo consolationem odiis & persecutionibus mundi opponendam concludat, quo hoc loco exhortationem ad perseverantiam in fide concludit: Ταῦτα λαλάηκα ὑμῖν: Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, memineritis. Ut enim illic propositæ consolationis, ita hic antegressæ exhortationis causam finalem exponit. Quin & totum hunc sermonem valedictorium eodem modo concludit capitis ejusdem, v. 33. Ταῦτα λαλάηκα ὑμῖν: Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, quæ omnia mirificè confirmant hanc sententiam, quod Christus verbis hisce præcedentem exhortationem ad fidei constantiam concludere, ac finem exponere voluerit, propter quem tam seriò ac tot argumentorum inductione eos hactenus exhortatus fuerit, ut in se & dilectione sua manerent, videlicet ut gaudium suum in ipsis maneat, & gaudium ipsorum impleatur. Gaudium Christi 1. Cyrillus intelligit objectivè & materialiter hoc sensu, ut tale sit gaudium vestrum, quale est meum, ut, quo de Ego gaudeo, de eo etiã vos gaudeatis, ut mei ac vestri gaudii idem sit objectum ac materia eadem. Homo factus (inquit lib. 10. c. 21.) unigenitus Dei Filius absq; peccato, omnia sustinuit, quæ Judæorum excogitare pervicacia potuit, nec unquam spiritus dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsur, & tandem patibulo affixus, ullo merore affectus fuit,

sed decenti semper ipse gaudio plenus, quoniam voluntatem Patris consummari videbat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat, illa opprobria delicias sibi esse putabat &c. Dicit ergo: hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, id est, ut illis solummodo rebus letare velitis, quibus Ego gaudeo. Sic enim fortes ad certamina eritis, & spe salvandorum hominum pericula libenter subibitis, non parum gaudentes, quoniam voluntas Patris, qui vult omnes ad cognitionem veritatis venire, pro virili parte vestra perficiatur. Hanc Ego letitiam elegi. Hanc etiam si vos habebitis, sincero ac integro afficiemini gaudio. Sed scopus Christi non est docere, quibus de rebus Apostoli gaudere debeant, verum finem exhortationis suæ ad fidei constantiam exponere, ut promissione gaudii ex fidei constantia secuturi excitati majori ad eam studio contentenderent. 2. Theophylactus gaudium Christi intelligit passivè, de illo scilicet gaudio, quo discipuli de Christo gaudere debeant, ut sit sensus: Hæc locutus sum vobis, ut non imminuam gaudium vestrum. Nam gaudebant quidem, cum essent simul cum eo, cum miracula faceret, & glorificaretur, & ipsi quoq; demonia ejicientes gaudebant &c. quoniam autem afflictio incidebat, & meror gaudium ipsorum mutilabat, inquit: Hæc solatoria verba locutus sum vobis, ut semper & usq; ad finem gaudium vestrum integrum maneat, plenum sit ac perfectum. Non enim merore digna sunt presentia, sed gaudio, licet crux, licet confusio, licet ignominia accedat. Juxta hanc hypothesin per gaudium Christi & discipulorum unum idemque numero gaudium intelligeretur, videlicet latitiæ cordis interna à certa fiducia salutis per Christum partæ enata, conjuncta cum patientia in ærumnis, constantia in persecutionibus &c. quod dicitur gaudium discipulorum, quia est in ipsorum cordibus subjectivè, ut ipsi eo fruantur, gaudium verò Christi tum effectivè, quia à Christo per Spiritum sanctum donatur, tum objectivè, quia Christus est hujus gaudii materia, siquidem credentes in Christo tanquam Mediatore suo gaudent, Luc. 1. v. 47. Possit huic interpretationi robur quæri ex eo, 1. quod Christus dicit, ut gaudium meum in vobis maneat. Ergo loquitur de gaudio, quod erat in Apostolis, hoc est, quo ipsimet in cordibus suis fruebantur. 2. Sicut in præcedente capite v. 27. Christus dixerat, pacem meam do vobis, id est, pacem illam conscientia interiori, quæ est à me & de me, sive in me: ita hoc loco dicit, ut gaudium meum interiori, quod est à me & de me, in vobis maneat. 3. Quod hæc explicatio videatur cum præcedentibus congruere. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, id est, ut in persecutionibus, afflictionibus, tentationibus peccati & mortis interiori cordis gaudium percipiatis, scientes vos à me diligere, defendi, gubernari &c. ut intelligatis, quanto amore vos complectar, ac super mea erga vos dilectione gaudeatis, ut, quia scitis, vos à Deo propter me vestrum Mediatorem diligere, vosq; in propagatione Evangelii Deo obedire, labores vestros Deo placere, & copiosum fructum afferre, ob mundi odia & persecutiones non solum non nimio per turbemini, sed etiam lætemini, quia hæc consolatio, quam vobis proposui, verum ac solidum secum affert gaudium. 4. Quod eadem congruat loco parallelo, Joh. 16, 33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. Sicut ibi finem totius valedictorii sermonis statuit eum, ut discipuli

scipuli in se pacem habeant, id est, quietem & tranquillitatem in mediis persecutionibus sentiant: ita hoc loco finem præcedentis consolationis statuit, ut gaudium suum in discipulis maneat, id est, ut ex quiete illa conscientia gaudium percipiant in Christo & de Christo lætantes. 5. Quod posterius membrum videatur ἐξηγησάμενος declarare prius. *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur*, hoc est, ut gaudium vestrum, quod idem est gaudium meum, à me profectum, & de me conceptum impleatur, ut sic verbo permanendi gaudii illius constantia, verbo implendi ejusdem perfectio exprimitur, non quidem omnibus numeris in hac vita absoluta, sed talis, quæ omnes conscientia terrores interni, & omnes ærumnæ externæ facile superari possint. Sed quia Christus disertis verbis inter suum & Apostolorum gaudium distinguit, ac nomen gaudii bis repetit, idem magis congruit textui, statuere, quod diversum gaudium utroque significetur. 3. Quidam gaudii nomen metonymicè accipiunt de beatitudine & gloria cœlesti verum ac solidum gaudium afferente: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat*, id est, ut beatitudo & gloria mea vobis communicetur, quod accomodat locum Apostolicum, 2. Tim. 2. v. 10. *Omnia sustineo propter electos, ut ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu cum gloria cœlesti.* Juxta hanc interpretationem membrum posterius itidem esset ἐξηγησάμενος prioris, ut gaudium illud vestrum impleatur, quia beatitudo & gaudium electorum incipit in hac vita, sed in futura demum impletur & consummatur, Ps. 17. v. 15. 4. Sed quia in his verbis finis præcedentis ad fidei constantiam exhortationis proponitur, & quia inter Christi & Apostolorum gaudium expressè distinguitur; ideo textui maxime conformis est Augustini interpretatio, quod gaudium Christi *in nobis* sit accipiendum de gaudio, quo Christus ipse gaudet, non quo discipuli de Christo gaudent. *Quid est* (inquit tractat. 83. in Johan.) *gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis? & quid est gaudium nostrum, quod dicit implendum, nisi ejus habere consortium? Gaudium ergo ejus in nobis gratia est, quam præstitit nobis, & Ipse est gaudium nostrum.* Sensus igitur est: Ego propterea tam sedulo exhortor, ut in me & dilectione mea maneatis, hoc est, ut in fide perseveretis, ut ex hac fidei vestræ constantia lætitiâ percipiam, sicut *Φιλόσοφος* pater de liberorum obedientia & profectibus ex animo gaudet. *Beneplacitum enim est Domino super timentes eum*, Psalm. 147. v. 11. *Beneplacitum est Domino in populo suo*, Psalm. 149. vers. 4. *Sicut gaudet sponsus super sponsam, sic gaudebit super te Deus*, Esa. 62. v. 5. *Gaudium est in cælo super peccatorem penitentiam agente*, proinde etiam super credente in vera fide perseverante, Luc. 15. v. 7. deinde etiam ut gaudium vestrum impleatur, ut constantem ego de vobis, & vos vicissim de me gaudeatis; ut ego de vobis tanquam frugiferis palmitibus gaudeam, & vos de me tanquam vite, cui insiti estis, gaudeatis. Observanda autem singulorum verborum pondera. De suo gaudio dicit Christus, ut *gaudium meum in vobis maneat*. Jam ante de illis utpote frugiferis palmitibus gaudebat, ideo non dicit simpliciter, ut Ego de vobis gaudeam; sed ut *gaudium meum in vobis maneat*. Verbo igitur manendi respicit ad præcedentem exhortationem, *manete in*

me; Item *manete in dilectione mea*, ac requirit ut manendo in ipso & in ejus dilectione tales se gerant, ut ipsius gaudium in eis maneat. Dixerat paulò antè: *manete in dilectione mea*; jam subjungit: *hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat*, quia quando manemus in dilectione Christi, hoc est, quando in fide constantem manemus, atque ita nos gerimus ut Christus nos diligere pergat, tunc ex dilectione illa Christi oritur gaudium, siquidem quisquis alterum sincerè diligit, ejus nomine lætatur. Quare verò dicit: *ut gaudium meum in vobis maneat*? Augustinus dicto loco, perquam subtiliter hoc interpretatur distinguendo inter gaudium Christi *de nobis*, quod habuit ab æterno, & inter gaudium Christi *in nobis*, quod in tempore incipit. Cum enim dixisset: *gaudium Christi in nobis gratia est, quam præstitit nobis*, mox subjungit: *Sed de hac ille etiam ex æternitate gaudebat, quando nos elegit ante constitutionem mundi.* Nec rectè possumus dicere, quod gaudium ejus plenum non erat, non enim Deus imperfectè aliquando gaudebat. Sed illud ejus gaudium in nobis non erat, quia nec nos, in quibus esse posset, jam eramus, nec quando esse cepimus, cum illo esse cepimus. In ipso autem semper erat, qui nos suos futuros certissimè suæ præscientiæ veritate gaudebat: Proinde gaudium jam ipse perfectum de nobis habebat, quando nos præcendendo & prædestinando gaudebat, neq. enim ullus in illo ejus gaudium metus esse poterat, ne fortè non fieret, quod se facturum esse præcisebat &c. Gaudium igitur ejus de salute nostra, quod in illo semper fuit, cum præcisebat & prædestinavit nos, capit esse in nobis, quando vocavit nos. Simplicius responderi potest *ἐν ὑμῖν*, juxta usitatum Hebraicum esse idem, quod *propter vos*, vel vestram ob causam, ut sit sensus: Hæc ideo vobis locutus sum, id est, tot argumentis vos invitavi ad manendum in me, & in dilectione mea, ut propter vos ac de vobis, id est, de vestra in fide perseverantia perpetuò gaudere possim. Sed ne existimarent, ob bonum aliquod sibi proprium Christum hæc protulisse, ac gaudio illo beatitudinem ipsius augeri, ideo mox subjungit: *ut gaudium vestrum impleatur*, hoc est, ut spirituale illud gaudium, quod ex fide in vobis oritur, quo gaudetis vos tanquam palmites mihi utpote vite esse insitos, ac sincerè à me diligi, in dies magis augeatur, ac tandem in vita æterna perfectè impleatur, ut spiritualis consolatio, quæ tanquam palmites ex me vera vite succum vitalem accipitis, in hac vita quotidie crescat, ac tandem in futura vita perfectissimè consummetur. Quidam putant, implendi verbo Christum insinuare, quod consummatio & plenitudo gaudii consistat in observatio præceptorum, id est, in constantia, in fide & studio pietatis. Sed quia observatio illa præceptorum in hac vita non est perfecta, ideo rectius dicitur, verbo implendi ad consummationem gaudii in futura vita securam respectum haberi, quia gaudium piorum spirituale incidit hic *in via*; & consummabitur aliquando *in patria*. Auctum quidem fuit discipulorum gaudium, & ex parte impletum in Christi resurrectione, eandemque secuta Spiritus sancti missione, sed perfectissima impletio in vita æterna demum fuit secuta. Quando ergo Christus dicit: *ut gaudium vestrum impleatur*, significat, ipsos nunc primitias tantum ac tenuem aliquem gustum illius lætitiæ percipere; quæ ex dilectione Christi originem trahit, sed in vita æter-

ta æterna inebriandos esse ab ubertate domus Dei & torrente voluptatis potandos, Pl. 36, 9. modò in dilectione ejus maneat, id est, in fide & pietatis studio constanter perseverent. Confirmat hanc explicationem locus parallelus, Joh. 17, 13. *Hec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, (ubi Christus conjungit, quæ hoc loco distinctè exprimit) *ut gaudium meum*, quo de ipsorum in fide constantia gaudeo, & quod meo munere in ipsorum cordibus accensum, *sit in ipsis impletum*, id est, ut sensus illius gaudii, quo à me sese diligentiunt, in hac vita magis magisque quotidie augeatur, donec perfecta consummatio in futura vita sequatur. Colligitur autem ex his verbis, 1. quòd Christus de piorum in fide & studio pietatis constantia, de que eorum salute sincerè gaudeat. Quod si ergo gaudium Christo excitare desideramus, in fide & pietate constanter perseveremus. Si Christus de salute nostra gaudet, utique eam non negliget. 2. Christus hic non dicit: *Hec locutus sum vobis*, ut imperium meum in vobis maneat, sed *ut gaudium meum in vobis maneat*. Non tam cogit nos ad constantiam præcipiendo, quàm blandè invitat alliciendo. Sicut parens dicit filio, hæc à te requiro, ut gaudium meum in te maneat, id est, ut tuo bono & commodo te constanti amore complecti possim: ita Christus dilectos suos filios eodè modo alloquitur. 3. Christus in Evangelio suo unicè hoc intendit, ut in hac vita conscientia tranquillitatem, in futura vita æternam lætitiã & felicitatem percipere possimus. Ergo & nos in Evangelii receptione & confessione non carnis licentiam, non honores mundanos, non divitias transitorias, sed unicè duo illa summa beneficia quæramus. 4. Gaudium illud, quo pii in omnibus periculis & adversis hujus vitæ sese sustentare possunt, non est mundanum, sed cœleste, non corporale, sed spirituale, non transitorium, sed æternum, quod Christus per Verbum Evangelii fide receptum, & per Spiritum sanctum in cordibus ipsorum accendit, Rom. 14, 17. quod oritur ex sensu di-

lectionis Christi, Phil. 4, 7. & ex salutis per Christum partæ certa fiducia. Gaudium terrenum ex creaturis ortum non potest animam ad æternitatem conditam satiare vel implere, sed spirituale gaudium animam nostram in hac & æterna vita satiat. Cyrill. in hunc locum: *Veram solidamq; lætitiã illam tantummodo, quæ in Deo est, appellamus, quâ etiam Christus gavisus est. Hec verò mundana umbra solummodo est, more somnii devolans.* 5. Hoc spirituale gaudium tantam affert animæ dulcedinem, ut omnes hujus vitæ ærumnas carni amarissimas visas reddat dulces, sicut lignum aquas in Mara in dulcedinem convertit, Exod. 15, v. 25. Qui gaudet in Christo & de quo Christus gaudet, non debet nimio opere contristari in hoc seculo. 6. Ex Evangelio fide verã & perseverante recepto duplex oritur gaudium, videlicet Christi & ipsorum creditium. Christus gaudet de creditibus in se, instar palmitum in vite manentibus & fructificantibus, quia credentes salutis æternæ tantis laboribus ac passionibus à Christo partæ fide illã verã & perseverante sunt participes. Vicissim credentes gaudent in Christo & de Christo, quia *justificati fide in Christum pacem habent cum Deo*, Rom. 5, 1. ac propter Christum à Patre cœlesti sese diligentiunt. 7. Gaudium illud creditium in hac vita tantum incipit, in futura demum impletur & consummatur. Tunc intellectum nostrum implebit primæ veritatis perfecta cognitio, voluntatem nostram implebit summæ bonitatis fructio, Pl. 16, 11. Esa. 35, 10. cap. 65, 14. Matth. 25, 21. 1. Pet. 1, 8. &c. Augustinus in hunc locum: *Gaudium hoc nostrum, quo beati futuri sumus, crescit & proficit, & ad suam perfectionem perseverando pertendit. Ergo inchoatur in fide renascentium, implebitur in premio resurgentium.* Gregorius homil. 9. in Evangel. *Tunc fidelis servus ad Domini sui gaudium perfectè immittitur, quando in æterna illa Patria assumptus, atq; Angelorum cœtibus admixtus, sic interiori gaudet de munere, ut non jam sit, quod doleat exteriori de corruptione.* *Christe tibi jungor, cen viti palmes inheret, Da vitæ succum, sic πολυκαρπῶ ero.*

### Pericope posterior.

- v. 12. Ἀυτὴ ἐστὶν ἡ ἐπιτολὴ ἣ ἐμὴ, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς.  
 13. Μείζονα ταύτης ἀγάπην εἰδὲς ἐχθ, ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτῆ θῆ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτῆ.  
 14. Ἰμεῖς φίλοι μου ἐστέ, εἰάν ποιῆτε ὅσα ἐγὼ ἐπέλλομαι ὑμῖν.  
 15. Οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλος ὅτι ὁ δούλῳ ἐν οἴδῃ τί ποιεῖ αὐτῆ ὁ κύριῳ ὅτι ὑμᾶς δὲ εἶρηκα φίλους, ὅτι πάντα, ἃ ἠέμισα παρὰ τῆ πατρὸς μου, ἐγνώρισα ὑμῖν.  
 16. Οὐχ ὑμᾶς με ἐξελέξαθε, ἀλλ' ἐγὼ ἐξελέξαμην ὑμᾶς, καὶ εἶρηκα ὑμᾶς, ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε καὶ καρπὸν φέρητε, καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μείνη ἵνα ὁ, τί ἀν αὐτῆ ζητῆ τὸν πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου, δῶ ὑμῖν.  
 17. Ταῦτα ἐπέλλομαι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

- v. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos.  
 13. Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.  
 14. Vos amici mei estis, si feceritis, quæcumq; ego præcipio vobis.  
 15. Non posthac vos dico servos: quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.  
 16. Non vos me elegistis, sed Ego elegi vos, & constitui vos, ut eatis & fructum asseratis, & fructus vester maneat: ut, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.  
 17. Hæc mando vobis, ut diligatis mutuo.

### Exegesis hujus pericopes.

Quando Apostolus, Col. 3, 14. caritatem vocat συνδεδεσμεν τῆς περὶ πότῃ, remittit nos ad typum, Ex. 26, 3. Quemadmodum enim cortina, ex quibus tabernaculum fœderis constabat, per ansulas & cir-

culos aureos invicem conjungebantur: ita caritas est aureum illud vinculum, per quod omnia Christi membra in corpore mystico invicem copulantur, ut sint spirituale tabernaculum ac templum, in quo

in quo Deus per gratiosam suam presentiam habitat. Non est Apostolo propositum, docere, quod caritas coram Dei iudicio nos perfectos reddat, ut merito caritatis coram illo consistere possimus, sed quod fideles tanquam membra unius corporis invicem per caritatem uniantur ac perficiantur, ut nulli eorum quicquam desit, sed ex mutuo cum cæteris membris nexu necessaria illi suppetant, quam explicationem ipse Apostolus tradit, Eph. 4. 16. Inde Apostoli in suis Epistolis toties ad caritatem veros Christi discipulos hortantur. Hieronymus in cap. 6. Galat. de Johanne Apostolo memorabilem annotat historiam: *Beatus Johannes Evangelista (inquit) cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, alter alterum diligite. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? qui respondit dignam Johanne sententiam, quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. Didicit hoc procul dubio à Magistro, in cujus pectore in ultima cœna recubuit, qui non semel, sed aliquoties in valedictoria illa concione præceptum dilectionis Apostolis inculcavit. Tribus enim ad minimum distinctis vicibus exhortationem ad dilectionem in ultima illa cœna ipsis proposuit, Joh. 13, 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos, ita & vos invicem diligatis. cap. 15, 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos. vers. 17. Hoc mando vobis, ut diligatis mutuo. Convenienti verò ordine hæc exhortatio ad dilectionem fraternam præcedentibus subjungitur, i. Christus in priore hujus capitis pericope exhortatus fuerat discipulos ad constantiam in fide, per quam manerent in sua dilectione. Merito jam subjungit exhortationem ad dilectionem, quæ est veræ fidei indissolubili vinculo conjuncta, & ejus infallibile testimonium, Gal. 5, 6. I. Joh. 4, 20. Nimirum duo exhortationis capita Christo fuere proposita: Primò, ut verè fideles uniret sibi; secundò, ut uniret eos inter se invicem. Prius absolvit per exhortationem ad fidei constantiam ex similitudine vitis & palmitum deductam; posterius præstat per exhortationem ad caritatem. Ignatius epist. 7. fidem & caritatem totum Christianismum absolvere asserit: Το όλον πιστις η̄ εις τον θεον η̄ ἀγαπη προς τον ἑμὸν Φυλλον. 2. Christus in cap. 14. & initio cap. 15. de sua persona, officio & beneficiis suavissimè erat concionatus, ac docuerat Apostolos verum Dei cultum, quomodo scilicet in Christo Mediatore Deum rectè agnoscere, invocare & colere debeant; jam subjungit informationem, quomodo erga proximum sese gerere debeant, videlicet quod ut fide Deo, ita sincerâ caritate proximo uniri debeant. 3. Dixerat Christum in proximè præcedente vers. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, hoc est, ex observatione præceptorum meorum cognoscere poteritis, vos manere in mea dilectione. Ne verò cogitarent, præcepta illa esse numero multa aut præstita difficilia: idèo jam exponit, quanam sint illa præcepta, videlicet præceptum mutua & fraternæ dilectionis, quod peculiari quadam ratione vocatur *Lex Christi*, Gal. 6. vers. 2. quia omnia reliqua Christi præcepta conversationem cum proximo concernentia in eo re-*

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tert.

capitulatur, Rom. 13. v. 9. Gregorius, homil. 27. in Evangel. *Cum cuncta sacra eloquia Dominica plena sint præceptis, quid est, quod de dilectione quasi de singulari mandato Dominus dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia unum præceptum sunt? quia quicquid præcipitur, in sola caritate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multe virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. Præcepta ergo Dominica & multa sunt & unum, multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Quinimò non ea solum præcepta, quæ conversationem cum proximo concernunt, in hoc caritatis præcepto summam comprehendunt, sed etiam omnia, quæ à Christiano præstanda requiruntur. Vera enim dilectio proximi prærequirit dilectionem Dei, cum proximo non nisi in Deo & propter Deum rectè diligatur. Augustinus conc. 8. in Psalm. 118. Ut sciat homo diligere proximum tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere seipsum. Bernhardus in lib. de dilig. Deo: *Ut perfecta fiat justitia tua in dilectione proximi, Deum in causa habere necesse est, alioquin proximum purè diligere non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, ut in Deo diligatur & proximus. Vicissim vera dilectio Dei & proximi prærequirunt fidem, cum absque fide ut nemo Deo placere, Hebr. 11. v. 6. ita nec verè Deum diligere possit: quæ autem à Christiano requiruntur, ad fidei & dilectionis mandatum ab Apostolo omnia revocantur, 1. Joh. 3. vers. 23. Chrysostomus homil. 76. in Johann. Intuere Dei dilectionem tanquam catenâ quadam nostræ dilectioni connexam, idcirco nunc duo, nunc unum mandatum dicit, nemo enim primum sine altero assequi potest &c. Nam si perseverantia à dilectione, dilectio à mandatorum observatione provenit, mandatum autem est, ut diligamus invicem, perseverantia à mutua oritur dilectione. Augustinus tractat. 83. in Johann. ubi caritas est, quid est, quod possit deesse? ubi autem non est, quid est, quod possit prodesse? Dæmon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit; nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaq; ubi dilectio est, ibi necessariò fides & spes: & ubi dilectio proximi, ibi necessariò etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam seipsum, quandoquidem non diligit & seipsum? Est quippe impius & iniquus. Qui autem diligit iniquitatem, non plane diligit, sed odit animam suam. Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus, & quicquid aliud præcipit, faciemus, quoniam quicquid est aliud, hic habemus. 4. Dixerat Christus in vers. 11. proximè præcedente: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur. Jam subjungit repetitionem præcepti de dilectione mutua, ut ostendat, non solum sibi, sed ipsis etiam Apostolis ex eo magnum spiritualis gaudii incrementum accessurum, si in dilectione mutua quotidie crescant. Dixerat, se hoc unum in exhortatione ad fidei constantiam spectare, ut ipse de nobis, & nos de illo gaudere possimus. At neutrum horum locum habere potest, nisi per mutuam caritatem concordem invicem vivamus. Sicut parens gaudet de concordia liberorum, ita Christus de caritate suorum discipulorum. Tale omninò est verè dile-***

D d d d 4

dile-



dilectionis ingenium, ut, quos diligimus, nolimus inter se vivere discordes, sed mutuâ caritate conjunctos & invicem concordēs. Jam verò Christus ut benignissimus parens nos caros suos filios diligit, & de nobis gaudere expetit, ideo mutuam concordiam & caritatem nobis præcipit. 5. Christus ex immensa caritate Sacramentum corporis & sanguinis sui modo instituerat, (quod non injuriâ quis dixerit dilectionis Sacramentum, tum ratione cause efficientis, quia ex caritate à Christo est institutum; tum ratione cause finalis, quia ad alendam caritatem est institutum) ex dilectione mox erat mortem aditurus, & sanguinem suum in ara crucis effulsurus, quid ergo mirum, quod caritatis præceptum denuò inculcat, ac dilectionem suam in exemplum propositam in hac repetitione magis exaggerat? Possunt verò quatuor posterioris hujus pericopes statui partes: 1. Exhortationis propositio. 2. Propositionis ratio. 3. Rationis confirmatio. 4. Exhortationis conclusio constans repetitione propositionis.

Exhortationis propositio sic habet: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem.* Jam dum superius hoc dilectionis præceptum Apostolis suis inculcaverat, & Testamenti quasi loco commendaverat, jam denuò, ut in vers. 17. tertiâ vice illud repetit, cujus repetitionis causas in explicatione versiculi 17. afferemus. Hoc loco verborum pondera, quibus Christus in hac exhortatione utitur, expendemus. Primò loquitur Christus *θεός μόνος, αὐτὴ ἐστὶν ἡ ἐντολή:* *Hoc est præceptum meum.* Syrus habet voculam *ܘܢܝܢ*. Propositum est Christo digito quasi demonstrare viam, in qua ambulare debeamus, ac ab omnibus reliquis viis, vel proprio arbitrio electis, vel mundi exemplo nobis præmonstratis nos abducere, sicut Esaias cap. 30. v. 20. de Christo, & aliis Ecclesiæ Doctoribus vaticinatus, inquit: *Non removebit à te Dominus ultra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tue audient verbum post tergum monentis. Hec est via, ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dextram, neq; ad sinistram.* Ratio humana semper quærit novas Deum colendi vias, ac in illis magis sibi placet, quam in operibus à Deo præscriptis & mandatis, sed Christus revocat nos ad antiquam dilectionis viam à Deo jam olim præscriptam. Illud ipsum pronomen *αὐτὴ* non solum est *δέξιμον*, sed etiam *ἀναφορικόν*, revocat enim nos ad præcedentia verba: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Christus enim hoc vult dicere: *Ut sciatis, quæ sint illa præcepta, quorum observatio vobis testimonium erit, quod maneatis in mea dilectione, in unico præcepto illa omnia complectar.* Si vos dilexeritis invicem, præcepta mea servabitis, & in dilectione mea manebitis. 2. Dicit: *Hoc est præceptum.* Augustinus tractat. 83. in Johan. monet, Græcum nomen *ἐντολὴς* & præceptum & mandatum significare, quod propterea monendum putavit, quia Latinus Interpres, Joh. 13. v. 34. illud reddidit per *mandatum*, hic verò per *præceptum*, ne quis cogitaret, diversum à priore vocabulum in Græco textu hoc loco haberi, quod opponendum illis, qui vulgatæ versionis auctoritatem secuti inter præceptum & mandatum discrimen, nescio quod, statuunt. Ideo verò præceptum vocat, ne quis cogitet, in libertate nostra positum ac relictum esse, an velimus nos mutuò diligere nec ne, sicut Pontificii dilectionem ini-

micorum inter consilia Evangelica referunt. Sed quia Christus mutuam dilectionem, ac proinde etiam inimicorum dilectionem disertè vocat præceptum, idè non inter consilia Evangelica perfectioribus tantum proposita, sed inter præcepta communia omnibus ad observationem præscripta eadem est referenda. 1. Joh. 3. v. 10. *Qui fratrem non diligit, non est ex Deo.* vers. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* v. 17. *Qui viscera sua à fratre clauserit, quomodo caritas Dei manet in eo?* cap. 4. v. 8. *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas est.* v. 20. *Si quis dixerit, se Deum diligere, & fratrem suum odit, mendax est, &c.* 3. Vocat suum præceptum, *αὐτὴ ἐστὶν ἡ ἐντολή ἡ ἐμὴ:* *Hoc est præceptum illud meum,* articulus enim ἡ bis repetitus non caret emphasi. Superius dixerat, *mandatum novum do vobis,* Joh. 13. vers. 34. hic inquit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem.* Variæ autem possunt dari causæ, quare Christus illud peculiariter suum vocet mandatum. Primò, ob primævam ejus promulgationem. Quando Pater cœlestis legem caritatis hominum mentibus in prima creatione inscripsit, ac postmodum in monte Sinai eandem solenniter promulgavit, tunc non abfuit à Patre Filius, sed unâ cum Patre & Spiritu sancto hoc dilectionis præceptum hominibus proposuit. Qui enim Israëlitas ex Ægypto eduxit, in columna nubis & ignis per desertum eos deduxit, ac in promissam terram introduxit, is etiam Legem divinam Dei & proximi dilectionem præscribentem in monte Sinai promulgavit, ut ostendunt verba *ὁμοθεύτας:* *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Jam verò Filius Dei Israëlitas ex Ægypto eduxit, in columna nubis & ignis per desertum deduxit, & tandem in promissam terram Canaan introduxit, ut in Exegef. tom. 1. Locor. loco 3. de Trinit. cap. 9. §. 136. & seqq. multis fuit demonstratum. Ergo. Secundò, ob præcepti hujus commendationem. Augustinus in hunc locum: *Ibi dixit Christus, mandatum novum do vobis, hic autem, hoc est mandatum meum. Ibi tanquam non fuerit antè tale mandatum, hic tanquam non sit aliud ejus mandatum. Sed ibi dictum est novum, ne in nostra vetustate perseveremus, hic dictum est meum, ne contemnendum putemus.* Quando igitur Christus hoc vocat suum mandatum, tum illud non solum ab aliis præceptis distinguere, sed etiam reliquis omnibus cupit anteferre, quia hoc præceptum frequentius quàm alia inculcavit, magnificentius laudavit, vehementius commendavit, severius à nobis exegit, & ad illud servandū exemplo suo omnium efficacissimè incitavit, ideo vocat illud suum præceptum. Meum, inquit, hoc est mandatum, hoc est, maximè omnium necessarium, ac præ reliquis omnibus ab illis, qui mei esse ac dici cupiunt, servandum. In proximi enim dilectione maximè elucet, an quis Deum verè diligit, & verè in Christum credat. Tertiò, ob præcepti hujus conditionem. Christus non solum hoc præceptum in diebus carnis suæ auditoribus suis perpetuò inculcavit ac diligenter exposuit, sed etiam præceptum illud ita comparatum est, ut sine fide in Christum, & sine Spiritu Christi illud nemo rectè implere possit. Nemo enim proximum rectè potest diligere, nisi prælucente agnitione & fide Christi, per quam datur Spiritus sanctus, qui hanc legem cordi inscribit, Jerem. 31. vers. 33. Quarto, ob præcepti hujus ab aliis mandatis distinctionem. Moses non solum

moralem legem, sed etiam plurimas Ceremoniales & forenses leges populo Israëlito proposuit; Zaleucus, Draco, Lycurgus, Numa, & alii, plurimas leges populo Gentilium proposuerunt; Philosophi multa tradunt de virtutibus & officiis, sed Ego non onerabo vos multis legibus. Hoc *meum* est præceptum, non Mosis, ut putetis abrogatum; non legislatorum Gentilium, ut putetis parvipendendum & à vobis alienum; non Philosophorum, ut putetis ex solo naturæ lumine petitum: sed *meum* præceptum, à me, Dei Filio, ex sinu Patris cœlestis prolatum, à me aliquoties vobis inculcatum & expositum, proprio meo exemplo confirmatum &c. Quintò, ob præcepti hujus fontem & emanationem. Deus est caritas, 1. Joh. 4. 8. & 16. Jam verò Christus est verus cum Patre & Spiritu sancto Deus. Quid ergò mirum, quod caritatis præceptum peculiariter vocat suum præceptum? Huc referendum, quod Apostolus mandatum dilectionis vocat *Legem Christi*, Gal. 6. 2. quodque Jacobus illud vocat *legem regalem*, cap. 2. v. 8. non solum quia monstrat regiam viam, quâ qui ingrediuntur, non aberrant, quia est à *Rege regum*, & *Domino dominantium* promulgatum, ac proinde omnibus humanis legibus præferendum, quia est maximum & præstantissimum, quod enim eximium & excellens *regium* vocari solet, quia *spiritu regali & principali*, id est, forti & constanti animo implendum &c. quia præstat ab illis, qui ad regnum cœlestem contendunt, sed etiam quia Regis regum Christi est proprium & peculiare præceptum. 4. Dicit Christus: Hoc est præceptum, ut diligatis. Conjunctio *iva* hoc loco non ponitur *τελειωσις* nec *ἐκβασιωσις*, cum nec finis nec consequens præcepti exprimitur, sed *ειδικωσις* ad declarandum pronomen *αὐτοῦ*. Hoc est præceptum illud meum, ut diligatis, hæc est summa omnium meorum præceptorum, hoc dilectionis mandatum est propriè *meum* mandatum, quod vobis unice cupio esse commendatum. Eodem modo particula *iva* usurpatur tum a libi passim, tum in hoc ipso capite vers. 8. & immediatè sequente v. 13. Probè verò notandum, quod Christus non dicat: *Hoc est præceptum meum*, ut mutua officia vobis præstetis, ut quibus potestis, modis proximum juvetis, &c. sed *ut diligatis*. Ostendit enim in mandato hoc cordis affectum, non autem duntaxat verba vel opera caritatis requiri. Etiam hypocrita possunt verba & opera caritatis amulari, 1. Cor. 13. 3. sed interior caritatis affectus non habet in illis locum. Contrà verò ubi interior dilectionis affectus in corde sincerè viget, ibi spontè sequuntur exteriora verba & opera caritatis. 5. Dicit Christus: Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem. Syrus reddidit, *ut diligatis* לרר לרר, unus alium. Requirit ergo mutuam dilectionem, quâ omnes verè fideles ut membra unius mystici corporis sese mutuò complectuntur, 1. Cor. 12. 12. quæ omnem *προσωποληψίαν* excludit, & inimicos æquè ac amicos, extraneos æquè ac domesticos, ignotos æquè ac notos &c. diligit. Quamvis enim caritatis sint diversi gradus respectu diversorum objectorum, tamen ab objecto caritatis in suâ latitudine considerata nullus omnino hominum excluditur. De hoc dilectionis mandato latè egimus tum in cap. 156. Harmon. ubi τὸ ὅτι, τὸ διότι & τὸ πῶς illius exposuimus, tum in cap. 174. Harmon. ubi in hoc caritatis præcepto quatuor potissimum notanda esse diximus:

*Quis scilicet diligere debeat: Quid caritatis nomine potissimum significetur: Quos debeamus diligere, & Quodnam amoris genus Christus à nobis requirat.* Hoc loco notandum, 1. quòd in hoc caritatis præcepto simul inclusa lateat præcepti ratio: *Hoc est meum præceptum.* Ergò si cupitis audire veri mei discipuli & servi, huic Magistri & Domini vestri præcepto vos obsequentes præbere convenit. *Hoc meum est præceptum*, peculiariter vobis commendatum & maximè necessarium. Ergò illud præ reliquis omnibus servare debetis. 2. Quòd aliâ ratione Moses, aliâ vicissim ratione Christus caritatem præcipiat. Ille præcipit tantum, non dat vires præstandi: Hic verò cum præcepto dat Spiritum sanctum, cor renovantem & ad dilectionem inflammantem. 3. Quòd præceptum caritatis Christus ideò vocet *suum præceptum*, ut ostendat, illud non esse unâ cum Ceremonialibus & forensibus legibus in Novo Testamento abrogatum, sed perpetuò obligatorium, ac ut doceat, opera caritatis omnibus externis Ceremoniis esse præferenda. 4. Quòd hoc caritatis præceptum complectatur complures virtutes, in quibus vitam Christi debemus imitari. Qui enim verè proximum cupit diligere, illum oportet esse *humilem*, ne ex superbia proximo sese præferat; *patientem*, ne vindictam meditetur; *mansuetum*, ne ad iram sese citò provocari patiatur; *concordiæ studiosum*, ne caritatis vinculum dirumpat, &c. De reliquis huc spectantibus diximus locis proximè citatis.

Ratio exhortationis continetur in his verbis: *Sicut dilexi vos.* Non negamus, quòd Christus in his verbis simul præscribat *modum ac formam* fraternæ dilectionis, interim primariò ac principaliter hæc verba ideò esse addita, ut *causam impulsivam* dilectionis & *αιτιολογίαν* propositæ exhortationis exhibeant, patet ex locis parallelis, Johan. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. Sicut dilexi vos, ut & vos invicem diligatis.* Ephes. 5. v. 2. *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos &c.* uti etiam & ex subjecta rationis hujus confirmatione atque amplificatione. Ideo enim Christus dilectionis suæ magnitudinem exaggerat, ut ad fraternam dilectionem eò fortiùs nos permoveat. Quia ego tantoperè vos dilexi, ideò æquum est, ut & vos invicem diligatis. Nemo amore indignos æstimet, quos ego dilexi. Jam ego vos omnes dilexi. Ergo etiam vos debetis invicem diligere. Quomodo verò Christi exemplum ad mutuam dilectionem nos impellere debeat, ostendimus in cap. 174. Harm. ubi etiam expendimus exemplar perfectæ dilectionis in Christi dilectione nobis propositum. Ex quo facillè judicari potest, quid de veterum interpretationibus, quibus hæc verba Christi diversimodè explicant, statuentium sit. Chrysostomus homil. 76. in Johan. *Non simpliciter dilectionem dicit, sed & modum docet diligendi.* Augustinus tractat. 83. in Johan. *Ut hæc dilectio, quam Christus requirit, discernetur ab illa dilectione, quâ se invicem diligunt homines sicut homines, adjunctum est, sicut dilexi vos. Ut quid enim nos diligit Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt. Ergo ut se diligant, Deum diligant. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus, pauci se propterea*

pterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus. lib. 8. de Trinit. cap. 7. Ea dilectio dicenda est, quæ vera est, alioqui cupiditas est, atque ita cupidi abusivè dicuntur diligere, quemadmodum cupere abusivè dicuntur, qui diligunt. Gregor. homil. 27. in Evangel. Sunt nonnulli, qui proximos diligunt, sed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est, quod sponte impenditur nature, aliud, quod præceptis Dominicis ex caritate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis premia non assequuntur. Proinde cum Dominus diceret: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, protinus addidit: Sicut dilexi vos, ac si aperte dicat, ad hoc amate, ad quod amavi vos. Rupertus in hunc locum: Palam faciebat, quantum vel quomodo diligeret nos, tanquam si apertius dixisset, usq; ad mortem diligite invicem, quia usq; ad mortem dilexi vos. Lyranus in hunc locum: Sicut ego dilexi vos gratuite, quia prior dilexi; ordinatè, quia dilexi in ultimum finem in beatitudinem; & efficaciter, quia animam pro vobis posui: ita & vos debetis invicem diligere. Albertus in hunc locum: Christus ita dilexit nos, ut omnia sua ad nostram salutem, & ad nostram dilectionem referret, vitam corporis pro animabus nostris exponendo, seipsum Patri pro nobis offerendo, animam in precium redemptionis nostre tribuendo, virtutem suæ divinitatis contra fortem, qui nos detinebat, exercendo; de sanguine & corpore suo nobis alimentum spirituale parando; verba protulit viam salutis nos erudiendo, opera fecit nobis exemplum virtutis dando, miracula multa nos in fide confirmando &c. Pari ratione & nos proximum diligamus, omnia ad ipsius salutem & commodum referendo. Sed hæc interpretationes non sunt oppositæ, sed subordinatæ. Christus enim non solum causam dilectionis impulsivam, sed etiam ejusdem formam nobis præscribere voluit, ac forma illa in eo consistit, quod Christus nos dilexerit spontè, gratuitè, sincerè, fructuosè, ordinatè, sapienter, suaviter, perseveranter, &c. De doctrinis ex hac dilectionis causa impulsiva ac forma petendis, in dicto cap. 147. Harm. fuit actum.

Hanc exhortatoriæ propositionis rationem Christus porro confirmat, & amplificat dilectionis suæ magnitudinem exaggerando 1. sui ipsius in mortem traditione. Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Non solum confirmat, quod dixerat, se discipulos suos dilexisse, sed etiam dilectionis suæ magnitudinem exaggerat, quod summo amoris gradu eos dilexerit, sicque exhortationis argumentum à suo exemplo petiit amplificare collatione imparium, quæ dilectionem suam quavis aliâ dilectione humanâ majorem esse probat ex maximi amoris effectu, quod est animam ponere, sive mori pro amicis. Argumentum Christi tale est: Qui mortem oppetit pro amicis, ille summo amoris gradu ipsos complectitur. Ego pro vobis discipulis meis mortem oppetam. Ergo summo amoris gradu vos complector. Majorem Christus effert per modum Συγγενεσιως. Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Vulgata versio reddidit, ac si scriptum esset, ἢ ἵνα, majorem hæc dilectionem nemo habet, quàm ut animam ponat, &c. Sed in nullo Codice Græco additur ἢ, nec permittit contextus, ut addatur. Quod si enim addas ἢ sive quàm, emergit

sensus Christi scopo planè contrarius, videlicet, quod detur quædam caritas Christi caritate major, utpote si quis animam pro amicis ponat, cum tamen Christus docere velit, nullam inter homines dari caritatem suâ majorem, cum ex caritate animam pro discipulis amicis suis posuerit. Syrus hunc sensum optimè expressit: *Dilectio, quæ major sit quàm hæc, non est, ut quis animam suam ponat pro amicis.* Particula ergò ἵνα ponitur pro ὅτι, sicut apud Hebræos ἵνα ponitur pro ὅτι, Joh. 10. v. 2. & 32. Per animam idiotismo apud Hebræos usitato intelligitur hoc loco vita corporalis; ac ponere animam, significat, mortem sponte obire, sicut hanc phrasin Christus ipse explicat, Joh. 10. v. 18. *Nemo tollit animam meam à me, sed Ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quod verò additur, ὡς πρὸς φίλων, eo ipso innuitur, quod de tali amoris gradu Christus loquatur, quo quis loco alterius mortem oppetit, quando mortem ab alio promeritam in se recipit, ac suâ morte vitam ipsius tuetur & conservat, vel etiam procurat. Sed huic assertioni, quod nemo hac majorem habeat dilectionem, ut quis animam suam ponat pro amicis suis, videntur quædam obijci posse. Nam 1. dilectio Dei, utpote quæ versatur circa dignum objectum, & in prima Decalogi tabula præcipitur, est major dilectione proximi in secunda Decalogi tabula præcepta. Resp. Christus hic non agit de dilectione in genere, sed de dilectione proximi in specie. Caritatis in genere acceptæ præstantior actus est, Deum amare, ipsique adhærere: sed caritatis in specie de dilectione proximi acceptæ summus gradus, & præstantissimus actus est, animam pro proximo ponere. Ad do, quod Augustinus tractat. 17. in Joh. moneat: *Dilectionem Dei esse quidem priorem ordine præcipiendi, sed proximi dilectionem esse priorem ordine faciendi; quodque dilectio proximi includat dilectionem Dei, cum proximus non nisi in Deo, & propter Deum, diligendus sit.* Dorotheus doctrinâ 6. *Studeat unusquisque pro virili parte coherere proximo. Quò enim magis proximo in amore & benevolentia cohererit, eò amplius Deo cohererebit.* 2. *Quod interior amoris affectus præstantior sit exteriori amoris actu. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, inquit Apostolus, 1. Cor. 13. 3.* Respondetur: Christus hic non loquitur de dilectione in se & absolute, sed secundum exteriores actus considerata, quod, ut inter exteriores actus & effectus dilectionis nullus sit major, quàm si quis mortem pro proximo oppetat, ita quoque nullum sit evidentius argumentum externum, nulla probatio major exterior, quàm ejusmodi actus. 3. *Quod major sit caritas, si quis pro inimicis animam ponat, quàm si pro amicis moriatur.* Huic objectioni diversimodè respondetur. Quidam distinguunt inter dilectionis objectum, & dilectionis materiam. Estimantur enim dilectionis gradus tum ratione objecti, tum ratione materiæ. Dilectionis ratione objecti considerata infimus gradus est, quando quis diligit amicum diligentem & beneficientem, Matth. 5. 46. Luc. 6. 32. medius gradus est, quando quis diligit eum, à quo nec diligitur, nec quicquam beneficium ab eo accipit;

sum-

summus gradus est, quando quis diligit inimicum, qui non solum non diligit, sed etiam odit; nec solum non benefacit, sed etiam mala multa ingerit; Matth. 5, 44. Luc. 6, 35. Dilectionis ratione materiae considerata, itidem tres possunt statui gradus: Infimus est, quando quis de suis facultatibus proximo benefacit; medius, quando omnia, quae in bonis animae, corporis & fortunae habet, proximo impendit; summus, quando ipsam vitam proximo impendit. Existimant igitur, Christum hic loqui non de gradibus dilectionis ratione *obsecutorum*, sed ratione *materiae* consideratae. (Huic distinctioni ferè convenit, quod quidam dicunt quantitatem dilectionis attendi, vel *ratione aestimationis*, quae eò major, quò quis plura & majora pro aliquo postponit; vel *ratione intentionis*, quae consistit in vehementia & fervore dilectionis, vel *ratione extensionis*, quae eò major, quò plures vel pauciores diligimus. Christum ergò hic loqui de caritate maxima ratione aestimationis, non ratione intensiois vel extensionis.) Sed Christus simpliciter dicit: *Nemo majorem hanc dilectionem habet, ut ponat animam pro amicis suis.* Ergò utroque modo caritatem suam esse maximam & summam innuit. Bernhardus, serm. in fer. 4. hebdom. pænol. col. 122. respondet, *non simpliciter maximam, sed quae inter homines maxima est, caritatem significari, Christi autem caritatem esse majorem, quippe qui pro inimicis sit mortuus.* Cum enim adduxisset verba Salvatoris: *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, subiungit: Tu majorem habuisti, Domine, ponens etiam pro inimicis.* Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. *Quenam alia videbitur esse vel fuisse, vel fore huic similis caritati? Vix pro justo quis moritur, Tu pro impiis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti iustificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos coheredes, exules Reges.* Hanc Bernhardi responsionem quidam illustrant hoc modo: *Homo, in quantum homo, & ex viribus naturae consideratus, non potest ad illum amoris gradum ascendere, ut moriatur pro inimicis, sed maxima hominis caritas est pro amico mori.* Qui pro inimicis mori debet, illum oportet esse plus quam hominem, & viribus gratiae à Spiritu sancto donatis ad summum illum dilectionis gradum asurgere. Sed haec responsio nititur eo fundamento, quod Christus non loquatur de caritate summa, sed quae minor sit caritate eà, quae pro nobis mortuus est, cujus contrarium superius ostendimus. Simplicissimè ergò respondetur, Christum & pro amicis & pro inimicis esse mortuum. Pro amicis quidem, quia illos, pro quibus mortuus est, ut amicos dilexit, pro inimicis verò, quia ab illis non diligebatur. Pro inimicis mortuus est, quia tales per naturam erant omnes homines juxta carnis corruptionem; pro amicis verò, quia tales facti sunt per Christi reconciliationem. Hanc explicationem suppeditat ipse Bernhardus, Sermon. 9. in Psalm. Qui habitat, &c. col. 303. *Christus non aliter pro amicis mortuus est, nisi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis.* Cum enim adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per sanguinem Filii sui. *Aut potius pro jam amicis, etsi nondum quidem amantibus, sed tamen jam amatis.* In hoc est enim gratia, non quasi nos dilexerimus DEUM, sed prior Ipse dilexit nos: *Vis nosse quam longè prior? Elegit nos in Christo ante*

*facta mundi fundamenta, &c. Quomodo ergò non dilecti jam tunc in illo, quando electi in illo? Quomodo non ei grati, in quo sumus gratificati? Sic ergo Christus secundum tempus quidem pro impiis mortuus est, secundum praedestinationem autem pro fratribus & amicis.* Maluit tamen Christus dicere, quod pro amicis, quam quod pro inimicis mortuus sit, primò ut ostenderet, se nullum hominem pro inimico habere, sed omnes ex sua parte tanquam amicos diligere, ipsisque benefacere, cum pro omnibus omninò sit mortuus. Secundo, ut ostenderet fructum imminentis suae passionis, quod nos inimicos adhuc existentes prior dilexerit, & passione ac morte sua nos DEO reconciliaverit, hoc est, amicos fecerit, Rom. 5, 10. Tertiò, Rupertus hanc assignat rationem, quod Christus suavitate locutionis, dilectionis, quam mandavit, dulcedinem in auditorum animis sensim diffundere voluerit. Quartò, quia mox subjecturus erat: *Vos amici mei estis.* Ergò non conveniebat illos vocare inimicos, quos summoperè caros, hoc est, amicos sibi esse mox dicturus erat. Quintò, ut innueret, quòd genuini ejus discipuli neminem pro inimico habere, sed omnes ut amicos diligere debeant. Praecepit Apostolis, ut se mutuo diligenter, id est, ut omnes sibi invicem amici essent. Ergò cum explicandum esset quantopere se invicem diligere debeant, non erat, quod inimicorum mentionem faceret. Posset etiam huic assertioni Christi 4. objici, quod quidam Gentilium pro Patria mori non dubitarent. Lactant. lib. 3. Instit. c. 12. *Propter salutem civium voluntarie se neci quidam obrulerunt, sicut Thebis Menaceus, Athenis Codrus, Rome Curtius Mutius & duo Decii.* Jam verò majus videtur mori pro Patria quam pro amicis. Respondetur: Loquitur Christus de actu caritatis ordinato, & justis circumstantiis determinato, quo quis morti sese objicit non temerè, nec proprii commodi, vel vanae gloriolae causà, sed ad Dei gloriam & proximi salutem. Jam verò Gentiles, qui pro Patria mori voluerunt, laudis cupiditate impulsì hoc fecerunt, nec Dei, sed propriam suam gloriam dilexerunt, sicut Poëta de illis canit: *Vicit amor patriae, laudumq; immensa cupido.* Ergo caritas Christi, quae turpem & ignominiosam mortem pro inimicis subiit propter Dei gloriam & salutem humani generis promovendam, longè major est, imò incomparabiliter major, quam Gentilium istorum caritas, vel potiùs umbra & simulachrum caritatis. Atque haec omnia pertinent ad confirmationem majoris propositionis, quod scilicet is, qui mortem oppetat pro amicis, summo amoris gradu eos complectatur. Minorem propositionem Christus hoc loco omittit, vel certè eam duntaxat insinuat, quando statim subjicit: *Vos amici mei estis,* scilicet pro quibus ex immensa caritate animam meam jam positurus sum. Jam antè enim aliquoties discipulis praedixerat, se non eo solum sine in mundum venisse, ut Evangelii doctrinam ex sinu Patris coelestis proferret, sed etiam mortem pro salute humani generis subiret, Matth. 20, 28. Marc. 10, 45. Joh. 12, 24. &c. Ideò verò hoc loco pro discipulis, & toto genere humano, animam suam ex caritate sese ponere asserit, 1. ut confirmet, quod paulò priùs dixerat: *Ego dilexi vos,* ne quis cum pervicacibus Judaeis ipsi dicat ex Malach. 1. v. 2. *In quo dilexisti nos?* 2. Ut modum dilectionis suae aperiat, quod non sit vulgaris quaedam, sed maxima dilectio.

3. Ut



3. Ut ostendat, non simplicem à nobis exigi dilectionem, sed talem, quâ ipsam etiam vitâ pro fratribus ponere non reformidemus, si gloria Dei & salus proximi id requirat. Quâ enim caritate Christus nos dilexit, eadem & nos proximum diligere debemus.

4. Ut Apostolos moneat, in prædicatione Evangelii pluris faciendam hominum salutem, quàm propria commoda, imò ipsam vitam, adeoq; illos prædicationis officio ita debere intendere, ut mortem omnium malorum acerbissimum ab eo non patiantur se revocare.

5. Ut doceat, se esse verâ vitem, credentes verò esse palmites, quippe qui plura & majora beneficia in credentes conferat, quàm ulla vitis in suos palmites. Vitis communicat quidem vitam suâ palmitibus, sed nondû fuit inventa vitis, quæ morte suâ vitam palmitibus procurârit. Colligitur ergo ex his Christi verbis, 1. summam esse Christi *φιλανθρωπία* & caritatem, cum pro nobis adhuc peccatoribus & inimicis mortem oppetere non dubitârit. In de Apostoli verbis ex hoc loco defumtis caritatem Christi in morte pro nobis voluntariè suscepta reluentem emphaticè exaggerant. Rom. 5. 6. *Christus, cum adhuc infirmi essemus, (cum adhuc essemus sub servitio peccati, potestate mortis ac Satanæ, & ad omne opus bonum infirmi) secundum tempus pro impiis mortuus est.* verſ. 7. *Vix enim pro justo quis moritur.* (Hieron. in Epistol. ad Algas. q. 7. statuit, *justum & bonum* hic non significare *personam*, sed *rem* ipsam scilicet justitiam & bonitatem. Sed textui magis convenit, vocem *δικαίης* de persona accipere, quo modo etiam Syrus reddidit, opponuntur enim *ὑπὲρ ἀσεβῶν & ὑπὲρ δικαίης*) nam pro bono forsitan quis *τολμῶ* suscipiat non solum acerba quevis sed ipsam etiam mortem (per quamdam correctionis speciem hoc subicitur, contingere quidem, sed rarò, ut pro justo quis moriatur, nondum verò inventum esse, qui pro impiis mortem sponte subire voluerit) v. 8. *Commendat autem Deus caritatem suam in nos, (ὑπὲρ ἡμῶν non solum commendat, sed nobilem & notam facit, illustrem & maximam esse demonstrat) quòd, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* v. 16. *cum adhuc inimici essemus, reconciliti sumus Deo per mortem filii ejus.* Gal. 2. v. 20. *Christus dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* I. Joh. 3. v. 16. *In eo cognovimus caritatem, quoniam animam suam pro nobis posuit.* Apocal. 1. v. 5. *Christus dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris suo sanguine.* Nuppiam illuxit clariùs, quod nos dilexit Dominus, quàm in ipsius passione & vulneribus. Bernh. serm. hebdom. penult. col. 121. *In opere passionis patientia, in modo humilitas, in causa caritas commendatur. Ut patientia singularis, sic humilitas admirabilis, utraq; sine exemplo, utramq; tamen magnificè commendat causa, scilicet caritas.* 2. Quia Christus pro nobis animam ponere dicitur, ideo ipsius mors est meritum nostrum, & satisfactio pro peccatis nostris. Huc pertinent dicta parallela, in quibus Christus seipsum dicitur dedisse in *λύτρον καὶ ἀντίλυτρον*, æqualem compensationem pro nobis, Matt. 20. v. 28. Marc. 10. v. 45. I. Tim. 2. v. 6. in quibus dicitur pro nobis factus peccatum, 2. Cor. 5. v. 21. & maledictum, Gal. 3. v. 13, in quibus sanguinem suum pro nobis effudisse dicitur, Matth. 26. v. 28. Hebr. 9. v. 14. &c. Falsum ergo est, quod Photiniani statuunt, Christum propter nos dici mortuum, ac sanguinem suum effudisse, non quasi loco nostrum mortuus sit, aut satisfactionis cujusdam loco sanguinem effuderit, sed quia nostri causa mortuus sit, & effusione sui sanguinis viam

salutis confirmaverit. Catech. Racov. p. 269. Ostrod. contra Tradel. p. 213. Præpositionem enim *ἀντί* & *ὑπὲρ* in Scripturis sæpe significant aliquam commutationem seu vicem alterius, Prov. 1. 8. Ezech. 4. v. 15. Matth. 17. v. 27. &c. Philem. v. 13, atque in hac significatione necessariò accipiendas esse, quando Christus *ἀντί ἡμῶν*, vel *ὑπὲρ ἡμῶν* dicitur mortuus, probari potest hisce argumentis: Qui ita moritur pro alio, ut animam suam det *λύτρον* & *ἀντίλυτρον* pro illo, is non solum in commodum alterius, sed etiam loco alterius moritur, ac mors est illius satisfactoria pro altero. Sed Christus ita mortuus est pro nobis, ut animam suam dederit *λύτρον* & *ἀντίλυτρον* pro nobis. Ergo. Qui factus est pro nobis maledictum, ut benedictionem consequeremur, ac factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo, is ita pro nobis mortuus est, ut nostrò loco sit mortuus, & suâ morte vitam nobis acquireret. Christus factus est pro nobis maledictum, ut benedictionem consequeremur, Gal. 3. v. 14. *ac peccatum, ut justitia Dei redderemur in illo,* 2. Cor. 5. v. 21. Ergo. Qui ita pro altero moritur, ut nisi pro illo fuisset mortuus, nequaquam fuisset mortuus, & illum, cui necessariò æterna morte, nisi hic pro illo mortuus fuisset, esset moriendum, suâ morte ab æterna morte liberat, is vice seu loco istius alterius moritur. At Christus ita pro nobis mortuus est. Ergo. 3. Quia Christus dilectionem suam, ex qua pro genere humano mortuus est, nobis imitandam proponit, ex eo apparet, Christi dilectionem *primariò* quidem & *principaliter* esse nostrum meritum, interim *secundariò* & *minutè* *principaliter* esse nobis propositam in exemplum, I. Joh. 3. v. 16. *In hoc cognovimus caritatem, quoniam Ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* At quàm procul absumus ab hoc amoris gradu? Vix nummum in proximum impendimus, tantum abest, ut vitam nostram ipsi impendamus. Oecumen. in hunc locum: *Quid dico, pro fratribus animas ponere, quando videmus, nonnullos ne necessarium quidem usum fratribus ministrare, neq; eos dico, qui & ipsi egent vitæ necessariis, sed qui etiam divitiis abundant roto propemodum mundo.* 4. Neque tamen hæc dilectio proximi debet esse præpostera & inordinata. Christus enim animam, id est, vitam suam pro nobis posuit, sed animam, id est, spiritum suum nequaquam spirituali mortii propter nos mancipavit, personas dilexit, peccata non dilexit: sic nemo debet animam suam mortii spirituali pro peccata in gratiam proximi mancipare, vel propter proximum animæ suæ salutem negligere. Diligere proximum propter beneficium acceptum vel speratum, est mercenarium; diligere propter peccati consortium, est malignum; diligere propter opus bonum, est decens ac Deo gratum.

Secundò exaggerat Christus dilectionis suæ magnitudinem ab Apostolorum in suam amicitiam receptione. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæcumq; ego præcipio vobis.* Connexionis variæ possunt dari rationes: 1. Christus in præcedente argumento, in quo dilectionis suæ magnitudinem confirmaverat, majorem tantum syllogismi proposuerat: *Nemo majorem hæc dilectionem habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.* Minorem ergo illius argumenti jam insinuat, quando subjicit: *Vos amici mei estis &c.* hoc

hoc est. Ego pro vobis amicis meis animam meam ponam. Ergo dilectione meâ nulla datur major. 2. Sed commodè potest etiam ut novum dilectionis argumentum accipi. Qui alios incomparabiliter se inferiores in amicitiam recipit & quidem ex mera atq; indebita gratia, ille utique verè & sincerè eos diligit. Ego vos Apostolos incomparabiliter me inferiores in amicitiam meam recepi, & quidem ex mera & indebita gratia. Ergo verè & sincerè vos diligo. Juxta hanc hypothesein verba isthæc, *vos amici mei estis*, conjunguntur cum v. 12. *dilexi vos*. 3. Dixerat Christus in v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*. Ne ergo de gravitate præceptorum conquererentur, addit promissionem boni & honoris non vulgaris manentibus in dilectione sua expectandi, videlicet quod amicorum loco sint ab ipso habendi, quæ promissio quanti sit æstimanda, vel ex eo apparet, quod in mundo amicitia nihil jucundius, nihil dignius, nihil utilius judicatur. 4. Dixerat Christus: *nemo majorem habet dilectionem ea, ut ponat animam pro amicis suis*. Occasione hujus extremi verbi docet, quo modo discipuli sese gerere debeant, ut sint & maneant ipsius amici, videlicet quod debeant observare ipsius præcepta, ostendit enim res ipsa, Christum in hac valedictoria concione semper unum sermonem ex alionectere. Sicq; hæc verba, *vos amici mei estis, si feceritis, quæcumq; ego præcipio vobis*, exactissimè conveniunt cum verbis præcedentibus in v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*. Esse enim amicum Christi & manere in dilectione Christi sunt arctissimè connexa. 5. Totius præcedentis exhortationis ad fidei constantiam scopus eò redit, quod discipuli manere debeant in dilectione Christi, v. 9. Jam ergo subjungit, quod in dilectione sua mansuri sint, non ut servi, sed ut amici ab eo dilecti & ipsum vicissim diligentes atque hanc dilectionem observatione mandatorum demonstrantes. 6. Ut in v. 11. docuerat, fructum constantiæ in in fide fore spirituale gaudium, quo Christus gaudeat de fidelibus & fideles in Christo: ita jam subjungit alium fructum videlicet amicitiam Christi, quia servare præcepta Christi cum primis requirit constantiam in fide. Ut arg; autem fructus, videlicet tum gaudium spirituale, tum amicitia Christi in hac vita incipit & in futura vita consummatur. Expendenda autem singulorum verborum pondera. *Vos amici mei estis*, inquit. Alloquitur Apostolos in cœnaculo præsentis, interim ut alia in hac valedictoria concione, ita etiam hoc ipsum generale est omnes verè credentes concernens, quia omnes illos ut amicos complectitur, cum pro omnibus mortem obierit, quod beneficium verâ fide illi sibi applicent. Nec dicit Christus, diligo vos, si feceritis, quæ præcipio vobis, sed quod longè majus & amplius est, *vos amici mei estis*. Diligimus non solum amicos, sed etiam servos, imò inimicos. Sed Christus hoc loco testatur, se non diligere Apostolos ut servos; multò minus ut inimicos, sed diligere & tractare ut amicos. Superius dixerat: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione*; hic vero asurgit oratio: *Si feceritis, quæcumq; ego præcipio vobis, eritis mei amici*. Nomen amicorum videtur paulò aliter accipi quam in vers. præcedente. Ibi enim amicos vocat, non qui ipsum diligebant, sed quos ille diligebat; Christus enim non tantum pro amicis se diligentibus, i. e. pro verè credentibus

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars tertia.

mortuus est, sed etiam pro inimicis, adeoque pro toto genere humano: hic verò amicos vocat, à quibus diligebatur, quos monet, ut observatione præceptorum dilectionem suam testatam & comprobata reddant, hoc est, nomen amicorum ibi sumitur passivè, hic verò activè. Quod si omninò nomen amicorum in eadem significatione hoc loco accipere velimus, in qua accipitur in versu præced. videlicet pro illis, quos Christus diligebat, sicut etiam in versu sequente, eodem modo accipitur, tum distinguendum erit inter dilectionem Christi generalem & specialem. Christus mortuus est pro amicis, id est, pro omnibus, quos generali dilectione fuit complexus, hoc est, pro toto genere humano. Qui faciunt, quæ Christus præcepit, illi sunt amici Christi, h. e. illos speciali dilectione complectitur, cum beneficia passionis & morte Christi parta verâ fide sibi applicent, & ex fide tantum benefactorem suum Christum vicissim diligant. Nec dicit Christus in futuro, vos amici mei eritis, sed in præsentis, vos amici mei estis, quia jam tum erant amici Christi, & ex gratia ejusdem jam pridem in amicitiam recepti, docet ergo tum, quâ ratione se pro veris Christi amicis declarare, tum quâ ratione in ejus amicitia permanere debeant, videlicet faciendo, quod à Christo ipsis injunctum. Quemadmodum enim amicus amico dicens, si hoc feceris, amicus meus es, significat utrumq; videlicet quod hoc faciendo amicum re ipsa sese comprobare debeat, quodq; nisi istud fecerit, defuturus sit amici officio, adeoque amicus desiturus: ita quoque Christus hac loquendi formulâ tum amicitia debitum, tum ejusdem declarandæ modum præscribit. Euthymius quidem monet, præsens juxta usitatum Hebraismum poni pro futuro, id quod ex verbo subjunctivi modi addito *εάν ποιήτε* probabile alicui fieri posset: sed præsentis temporis verbum optimè retineri potest, sicut etiam Syrus reddidit *אנחנו נהיה לכם חברים*, Vos amici mei vos, ac magnam hoc loco habet emphasin. Si feceritis, quæ præcipio vobis, estis amici; quam diu facietis, tam diu amici estis; si facere contempnitis, amici fuistis, so seyð iyr meine Freunde gewesen. Notandum etiam illud, quod Christus non dicit: Vos amici estis, si feceritis, quæ ego feci, sed, quæ præcipio vobis. Potuisset quidem Christus ad sua facta Apostolos remittere, sicut fecerat Johan. 13. vers. 15. cum non solum Verbi verba sint nobis documenta, sed etiam Verbi facta nobis sint exempla, maluit tamen ad præcepta, id est, ad dicta, quam ad facta sua nos remittere, cum non omnia Christi facta ad imitationem sint proposita, sed Christus in quibusdam nobis sit mirabilis, in quibusdam verò imitabilis. Omnis quidem Christi actio est nostra informatio, sed non omnis Christi actio est nostra imitatio. Nec dicit Christus, vos amici mei estis, si quedam feceritis eorum, quæ præcepi vobis, sed loquitur universaliter, vos amici mei estis, si feceritis omnia quæcumq; ego præcipio vobis, esse enim hanc locutionem universalem, declarat ipse, quando locutionem universalem in cœlos ascensionem ab Apostolis requirit, ut doceant homines baptizatos servare cœlestia. *omnia ἐνετέλεστο, omnia, quæ mandaverunt ipsis*, Matth. 28, 20. Deniq; videbatur sufficere verbum primæ personæ, si feceritis, quæcumque præcipio vobis: sed Christus notanter addit nomen primæ personæ, quæcumque ego præcipio vobis, tum ut præceptis suis à

Eeeee per-

personæ majestate autoritatem conciliet, tum ut præcepta sua ab humanis doctrinis & præceptis longo intervallo distinguat. Salmer. ex his verbis colligit, *Evangelium non esse nudam gratia promissionem sed conditione vallatum.* Sed notandum, quando Evangelicas promissiones conditionales esse negamus, tum non quamvis, sed tantum nostrorum meritorum & operum conditionem à nobis excludi. Alia enim est conditio *fidei* à conditione *operum*. Conditio fidei non opponitur muneris gratuito, sicut apprehensio, quæ sit manu recipientis, non opponitur liberalitati dantis, sed conditio operum muneris gratuito opponitur. *Si enim ex operibus, jam non ex gratia,* Rom. 11. v. 6. Si quis regerat, non *fidei* solum, sed etiam *operum* conditionem quibusdam promissionibus esse adjectam, Rom. 8. v. 13. 2. Tim. 2, 12. 2. Petr. 1, 11. 1. Joh. 1, 9. &c. tum respondemus veram contritionem, studium novæ obedientiæ, mortificationem carnis, patientiam in cruce, dilectionem &c. non requiri à renatis tanquam *meritum* aliquod justificationis & salutis, vel tanquam *causam* propter quam justitia, salus & vita æterna ipsis contingat, cum per fidem ex gratia Christi justitia nobis imputetur, cum vita æterna sit gratuitum Dei donum, non operum nostrorum meritum, cumq; hæc dicta proponantur illis, qui jamdum fide sunt justificati & heredes vitæ æternæ facti: sed hasce conditiones ideo addi, ut exprimaturn tum natura objecti, quod remissio peccatorum, salus & vita æterna nequaquam contingant securis, impenitentibus in peccatis contra conscientiam pertinaciter perseverantibus: sed illis, qui peccata sua agnoscunt, serio de illis dolent, fide Christum amplectuntur & fidem per opera demonstrant, 1. Joh. 1, 9. quodq; plena vitæ æternæ possessio illis demum contingat, qui in vinea Domini strenuè laborant, qui perseverant, qui in viis mandatorum divinorum ambulat, Matth. 10, 22. Apoc. 3, 5. tum natura finis, quo scilicet fine remissio peccatorum, justitia, & vita æterna per veram in Christum fidem nobis conferatur, videlicet ut in posterum Deo serviamus, nosq; ipsi gratos exhibeamus, Luc. 1, 74. Tit. 3, 14. tum natura operum, in quibus nostram Deo & possimus & debeamus probare obedientiam, Matth. 5, 44. Jac. 2, 8. tum natura viæ, in qua post impetratam peccatorum remissionem & factam cum Deo reconciliationem ad propositum æternæ vitæ brabeum contendere debeamus, 1. Cor. 9, 24. 2. Tim. 4, 7. tum natura promissionum, quod scilicet promissiones corporaliū & spiritualium præmiorum intelligendæ sint cum exceptione crucis, Act. 14, 22. Rom. 8, 17. 2. Tim. 2, 12. tum natura veræ fidei, quod exerat se per dilectionem & mandatorum divinorum observationem, Joh. 13, 35. c. 15, 10. 1. Joh. 2, 3. contra vero per peccata contra conscientiam admissa excutatur, atq; unà cum fide etiam gratia Dei, inhabitatio S.S. & vita æterna amittatur. Ezech. 18, 24. Rom. 8, 13, &c. Quod in specie attinet hoc dictum Christi, *Vos amici mei estis, si feceritis quacunq; ego præcipio vobis,* notandum, quod Johannes omnia Christi præcepta ad duo principalia capita revocet, videlicet ad *fidem & dilectionem*, 1. Joh. 3, 23. quando ergo Christus dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis, quacunq; ego præcipio vobis,* sensus est, tunc demum respicere veros meos amicos vos esse declarabit, si credentes me esse promissum Messiam fide mea be-

neficia amplexi fueritis, inq; ea ad finem vitæ perseveraveritis, ac si mutuo vos dilexeritis, atq; ex dilectione erga me & proximum Evangelium meum juxta vocationem vestram in toto orbe prædicabit. Diverfa igitur est conditio eorum, quæ præceptorum Christi nomine comprehenduntur, & quæ in amicis Christi requiruntur: Fides vera & perseverans facit nos amicos Christi, dilectio, patientia, studium novæ obedientiæ &c. nos factos esse declarant. Rectius ergo ex his verbis colligitur 1. quanta sit *Φιλανθρωπία* Christi, quod non indignatur verè credentes *amicos*, imò *fratres* suos vocare, Pl. 22, 23. Joh. 20, 17. Hebr. 2, 12. Ipse est Regis coelestis Filius, *Rex omnium Regum & Dominus omnium dominantium*, Apoc. 19, 16. non tamen erubescit amicorum nomine nos terræ vermiculos honorare. Mathathia inter reliqua præmia & honores etiam hoc promittitur, quod *futurus sit inter amicos Regis*, si legem Patriam deseruerit, 1. Maccab. 2, 8. Inter Jonathæ dignitates etiam ea locum habet, quod Rex Alexander eum vocaverit *amicum suum*, ac miserit ei *purpuram & coronam Regiam*, 1. Macc. 10, 20. Judæorum populo per quam honorificum censetur, quod à Rege Demetrio *amici* fuerint salutati, 1. Macc. 11, 33. atq; à Romanis *amicum* nomine appellati, 1. Macc. 14, 40. Sed quid hoc æstimandum ad illam piorum dignitatem, quod Christus omnibus Regibus major eos vocat *amicos* suos? 2. Quia ad amicitiam quædam requiritur æqualitas, & verò inter Deum & homines nulla sit proportio, nedum æqualitas; ideo Dei filius factus est hominis filius, ut per suam ad Deum & homines *ὀικείωσιν* nos homines in Dei amicitiam reduceret atq; ex inimicis amicos faceret, Rom. 5, 10. 3. Est autem Christus ut summus, ita quoque perfectissimus verissimus & constantissimus noster amicus. Prov. 17, 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* At Christus omni tempore nos diligit & ad finem usq; nos diligit. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum*, Sir. 6, 14. *Amico fideli nulla est comparatio & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius v. 15. Amicus fidelis me dicit amicum vitæ & immortalitatis &c. v. 16.* Hoc elogium cum primis Christo fideli nostro amico competit, ille animam suam pro nobis amicis suis in mortem posuit; ille non querit nostra, sed nos; ille omnia sua secreta nobis aperit; ille omnia sua bona nobiscum communicat; ille adest nobis in omni tribulatione; ille familiariter nobiscum loquitur; ille suavissimo nos excipit convivio &c. 4. De hac ergo amicitia Christi rectè scribit Simon de Cassia lib. 12. cap. 10. *Amicitia illa nulla major, nulla honestior, nulla potior ad tuendum, nulla facilior ad habendum, nulla delectabilior, nulla utilior, nulla jucundior, quæ Angelorum etiam amicitiam sortitur & omnium supernorum civium.* Christus est Rex gloriosissimus. Ergo amicitia Christi nulla est gloriosior. Christus est Rex benignissimus ac beneficentissimus. Ergo amicitia Christi nulla utilior, 1. Joh. 3, 1. 2. Petr. 1, 4. Cyrill. lib. 10. in Joh. c. 23. *Quid majus, quid clarius quam Christi amicum esse & appellari? excedit hæc certè dignitas humane nature terminos, omnia enim servantur creatori.* Confirmant id ipsi exempla omnium sanctorum, qui in hanc amicitiam recepti omnis generis bonis affatim à Christo amico suo fuere cumulati. Christus est Rex veracissimus, unde vocatur *fidelis & verax*, Apoc. 19, 11. Ergo amicitia Christi nulla est constantior, quos semel in amicitiam

tiam suā recipit, illos constanti amore complectitur, nisi ipsimet sponte deficiant & huic amicitia nunciū mittant. Christus est Rex clementissim⁹ ac gratiosissimus. Ergo ipsius gratia & amicitia facile obtineri potest, nemini difficilem ac durum, sed omnibus obvium sese præstat &c. 5. Proinde hæc amicitia Christi confirmet nos de certitudine præsentis gratiæ. Quomodo enim dubitare possunt de gratia Dei, qui sunt amici Christi? Eadem confirmet nos de certitudine perseverantiæ ac salutis æternæ. Quomodo enim à conspectu suo Christus abjiciet, quos in amicitia suæ complexum recepit? Qui amicus Dei est, cum filiali fiducia ad thronum Dei accedere potest, omnia necessaria per preces à Deo impetrat & ad hæreditatem cœlestem admittitur. *Amicitia Dei donatrix est immortalitatis his, qui aggreduuntur eam*, inquit Iren. lib. 4. c. 27. 6. Interim nostrum est, erga hunc amicum nos ita gerere, ne ipsius gratiæ & amicitia excidamus. *Noli prævaricari in amicum*, ait Siracides cap. 7. v. 20. *permane amico fidelis*, inquit idem cap. 22. 29. *non obliviscaris amici tui*, inquit idem cap. 37. v. 6. hoc nobis quoq; dictum putemus, ut amicitiam Christi sanctè colamus, neque quidquam eā indignum committamus. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæcumq; ego præcipio vobis*, inquit hoc loco Christus, Ergo requiritur ad hanc amicitiam, ut ea, quæ amico nostro sunt grata & accepta, summo studio præstemus, sicut alias amicus amico, quantum honestè fieri potest, in omnibus gratificatur. *Conformitas voluntatis proprius est effectus dilectionis*, inquit Thomas lib. 3. contra gentes cap. 151. Eadem velle & nolle cum amico est veræ amicitia nota. Voluntas Christi in præceptis ipsius continetur. Ergo veri & genuini amici Christi sunt, qui faciunt, quæ ipse præcepit. Non qui hominum commenta vel sua signimenta observant & aliis inculcant, sed qui Christi præcepta servant, amicorum loco ab ipso habentur. *Est amicus, qui solo nomine talis*, inquit Siracides cap. 37. v. 1. Tales amicos nominales Christus habet longè plurimos, à quibus veri & reales amici longissimè sunt distincti. Chryl. homil. 2. in hæc verba: *Vos amici mei estis*, tom. 3. col. 433. *Christiano divine amicitia promittuntur, ut ab eo obsequia debita repetantur. Famulatu dignitas queritur, officio sublimis comparatur, ad amicitiarum verò cœlestium potentiam servitutis obsequio pervenitur &c. Non potest amicus existere, qui amicitia jura non servat. Non potest ad familiaritatem Christi accedere, qui ejus mandata noluerit observare &c. Ut autem verorum Christi amicorum natura atque indoles eò melius agnoscat, age consideremus, quales fuerint, quos Scriptura Dei & Christi amicos vocat. Abrahamus Dei amicus vocatus est, 2. Paral. 20, 7. Esa. 41, 8. Judith 8, v. 22. Jac. 2, 23. At qualis fuit Abrahamus? *credidit Domino, & imputatum est illi ad justitiam & sic amicus Dei appellatus est*. Probatus fuit in tentatione & obediit voci Domini, Gen. 22, 18. Cyrill. d. 1. *Sicut Abrahamo amico Dei dictum, exeat de terra & cognatione tua &c. ita qui ad amicitiam Christi conscendunt, audiverunt & ipsi, exeat de terra vestra, peregrini enim & advena sunt in terris, qui civitatis Dei cives esse cupiunt. Sed à cognatione quoq; sua exire jussi sunt à Christo dicente: Qui diligit Patrem aut matrem super me, non est me dignus &c. Abrahæ proprium filium in odorem suavitatis Deo adducere jubebatur, fideles autem non alios, sed se ipsos.**

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars tert.

*Exhibent enim corpora sua hostiam Deo viventem. Cum Abraham filium suum in figuram Christi immolare jubebatur, tunc intentionem Dei abditam docebatur: ita quoq; Christi mysterium amici ipsius cognoverunt &c. Præter Abrahamum etiam Moses fuit Dei amicus, quia Deus locutus est cum ipso, sicut amicus cum suo amico, Ex. 33, v. 11. At qualis erat Moyses? *fidelis servus in domo Dei*, Num. 12, v. 7. Hebr. 3, v. 2. Lazarus itidem fuit amicus Christi, Joh. 11, 11. At qualis erat Lazarus? parabat Christo hospitium ac convivium. Johannes fuit amicus Christi, quia Christus eum præ reliquis diligebat, Joh. 13, v. 23. At qualis erat Johannes? *particeps in tribulatione & regno & patientia Jesu Christi*, Apoc. 1, v. 9. Quod si ergo & nos cupimus esse & vocari amici Christi, oportet, ut sanctorum istorum, Abrahamæ, Moysis, Lazari & Johannis vestigiis insistamus, Rom. 4, v. 12. 7. Deniq; Cyrillus d. 1. contra Arianos probat, Christum esse non servū, sed Filium Dei ex eo, quod nos amicos Dei facere potest. *Si amicitia Filii* (inquit) *eos, qui servi natura sunt, ad libertatem amicorum dignitatem perducit, quomodo ipse ut creatura servus erit, ut quidam ex imperitiis dicunt? An aliis poterit libertatem largiri, ejus ipse naturæ expertus? minimè. Sed sanctis quidem Apostolis, ceterisq; fidelibus, qui ad amicitiam suam ascendunt, extrinsecus honoris gratiæ libertatis accedit dignitas, iste verò naturæ liber est, quod enim adventitium est, ab infuso & naturali distinguitur. Libertas verò nostra cum adventitia sit per gratiam habita, alia est certè ab ejus libertate.**

Tertiò confirmat & exaggerat Christus suam dilectionem à consilii divini Apostolis factâ manifestatione. *Non posthac vos dico servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Connexio talis est: 1. Christus in proximè præcedente versu discipulos vocaverat amicos suos. Jam ergo exponit causam, cur eos vocaverit amicos, nimirum quia arcanum Dei consilium de salute humani generis ipsis manifestaverat, & hanc rationem illustrat antithesi, quâ amicus opponit servos, qui nesciunt, quid domini ipsorum faciant. Argumentum Christi sic habet: *Qui secreta sua & quidem omnia alicui communicat, illum verè pro amico habet.* Ego vobis discipulis meis secreta mea, & quidem omnia, communicavi. Ergo verè pro amicis vos habeo. Major probatur, quia in eo servi ab amicis distingvuntur, quod non sunt conscii secretorum Domini, sicut amici conscii sunt secretorum amici sui. 2. Simul verò Christum suam erga Apostolos dilectionem confirmat & exaggerat, argumento à consilii divini manifestatione petito, quod sic habet: *Quicumq; alteri secreta sua & quidem omnia comunicat, ille singulariter ipsū diligit.* Ego vobis Apostolis meis omnia mea secreta, quæ à Patre audivi, manifestavi. Ergo singulariter vos diligo. 3. Dixerat Christus v. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Jam ergo exponit, qualis sit ille sermo, videl. ex sinu æterni Patris prolatus, quia omnia quæ à Patre suo Christus audivit, in sermone Evangelii discipulis suis nota fecit, unde etiam sermo Christi hanc vim & efficaciam obtinet, ut fide receptus nos cum Christo & mediante Christo cum Patre cœlesti nos uniat, ut sumus in Christo tanquam palmites in vite; & ut dilectio, quâ Pater cœlestis Christum diligit, sit in nobis,

Eeeee 2 bis,

bis, Joh. 17. v. 26. Cæterum prior pars antitheseos in hoc Christi argumento sic exprimitur: *Non posthac vos dico servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus: ἐπεὶ, non amplius, non posthac, in posterum non dico vos servos.* Ex quo quidam colligunt, præsens λέγω juxta usitatum Hebraismum esse positum pro futuro, non dicam, quo modo etiam vulgata versio reddidit. Sed quia statim additur, *vos dixi amicos, & quia causa propter quam discipulos suos non servos sed amicos vocavit, videlicet manifestatio divini consilii, non solum in præfenti sed etiam in præterito apud ipsos locum habuit, ideo præsens commodè retineri potest.* Posterior antitheseos pars sic habet: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, que audivi à Patre meo, nota feci vobis, videlicet in verbo Evangelii præcedentibus tribus annis vobis prædicato, cum primis verò in hac valedictoria concione, in qua totum meum cor erga vos quasi effudi. Verbum præteriti temporis ἐφησα respectum habet ad proximè præcedentes sententias. Vos amici mei estis. It. Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut ponat animam pro amicis. Modò dixi, vos amicos meos esse, si feceritis, que præcipio vobis.* Conjunctio ἄρα hoc loco non à priori sed à posteriori argumentum duci significat. Ex eo intelligere potestis, quod pro amicis vos habeam, quia omnia, quæ à Patre audivi, nota feci vobis. Juxta priorè oppositionis partem dicendum videbatur, omnia, quæ facturus sum, nota feci vobis, quia dictum erat, nescire servum, quid faciat dominus ejus: sed mutato sermone dicit, *omnia que audivi à Patre meo, tum ut ostendat, particulam universalem πάντα determinatè esse accipiendam de omnibus ad salutem pertinentibus & sciri ad eam necessariis, tum ut ad Patrem tanquam fontem doctrinam Evangelii referat, ac proinde Apostoli eam majoris æstiment, utpote intelligentes per ejus manifestationem se omnium divinorum secretorum confcios esse factos.* Per hoc enim, quod non simpliciter dicit, omnia vobis feci nota, sed addit, *omnia que à Patre audivi nota vobis feci, utrumque ostendit, videlicet quod non omnia, quæ in luce divinæ suæ omniscientiæ & omnisapientię novit, discipulis suis revelaverit, sed quæ in verbo Evangelii annunciare jussus erat, ac quod is qui verbum Evangelii, utpote ex sinu Patris cœlestis prolatum fide recipit, per illud non solum ipsius, sed etiam Patris amicus efficiatur, quæ dignitate nulla major esse potest.* Quidam existimant, Christum hisce verbis alludere ad locum Psalm. 55. vers. 15. *innotus sive amicus meus, qui simul habuimus dulce secretum & in domo Dei ambulavimus conjunctim.* Quæ enim proditori Judæ beneficia in Evangelii manifestatione fuere à Christo præstita, illa cum reliquis Apostolis, imò cum omnibus fidelibus habuit communia. Oriuntur verò circa hæc Christi verba quidam scrupuli consideratione non indigni: Primò enim quæritur, *quo sensu accipiendum sit, quod Christus ad Apostolos hoc loco dicit: Non posthac vos dico servos, cum non solum in prioribus suis concionibus & in hac ipsa valedictoria concione jam antè aliquoties eos vocaverit servos, Matth. 10, 24. c. 20, 27. cap. 21, 36. c. 22. v. 3. c. 24. v. 45. Luc. 17. v. 10. &c. Joh. 13. v. 13. & 16. sed etiam paulo post subjiciat, v. 20. Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, etiam vos persequentur; ac in die judicii ipsis dicitur sit: E-*

*ge, serve fidelis, Matth. 25. vers. 21. Luc. 19. vers. 17. Irenæus lib. 4. adv. hæres. c. 27. respondet, non tam de persona Apostolorum, quam de discrimine inter populum V. & N. Test. hoc esse accipiendum. Dominus noster (inquit) est Verbum Dei, qui primò quidem servos attraxit Deo, postea autem liberavit eos, qui subiecti ei &c. In eo enim, quod dicit jam non dico vos servos, manifestissimè significavit, se esse, qui primò quidem eam servitutem, quæ est erga Deum, hominibus per legem constituerit, post deinde libertatem eis donaverit. Et in eo quod dicit, quoniam servus nescit quid faciat Dominus ejus, ignorantiam servilis populi manifestat per suum adventum. In eo autem, quod amicos Dei dicit suos discipulos, manifestè ostendit, se esse Verbum Dei, quem & Abraham voluntariè & sine vinculis propter generositatem fidei sequens amicus Dei factus est. Eadem est sententia Hugonis in h. l. Jam non dicam vos servos, sicut Judæi fuerunt, qui serviliter fecerunt Dei mandata. Sanè constat ex Apostolo, per legem datum fuisse Spiritum servitutis in timorem: per Evangelium verò Christi dari Spiritum adoptionis filiorum, Rom. 8. v. 15. interim quia tempore durantis Vet. Testam. etiam Evangelicæ promissiones de Messia piis fuere notæ, & quia Deus etiam Israëlitico populo consilium de salute manifestasse dicitur, Psalm. 147. v. 19. ideo pii Vet. Testam. non possunt ab amicorum nomine excludi, cum confet, Abrahamum omnium credentium Patrem amicum Dei fuisse appellatum. 2. Augustinus tract. 85. distinguit inter servos ex timore servili, & servos ex timore filiali. Sicut duo sunt (inquit) timores, qui faciunt duo genera timentium: sic due sunt servitutes, que faciunt duo genera servientium. Est timor, quem perfecta caritas foras mittit; & est alius timor castus permanens in seculum seculi &c. In illo timore, quem foras caritas mittit, est etiam servitus simul cum ipso timore mittenda, utrumque enim junxit Apostolus, hoc est, servitutem & timorem, dicendo: Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore. Ad hanc servitutem servum pertinentem intuebatur & Dominus dicens: Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Non utique ille servus pertinet ad amorem castum, cui dicitur: Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui: sed ille servus pertinet ad timorem, foras à caritate mittendum, de quo alibi dicit, servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri, non servi, sed filii sumus, ut miro quodam & ineffabili, sed tamen vero modo, servi non servi esse possimus. Servi scilicet, timore casto, ad quem pertinet servus intrans in gaudium Domini sui: non servi autem timore foras mittendo, ad quem pertinet servus non manens in domo in æternum. Huc referri potest, quod Hugo in Psalm. 118. v. 65. distinguit inter servitutem criminis, (de qua Joh. 8. v. 34. 2. Pet. 2. v. 19.) timoris, (de qua Joh. 8. v. 3. Rom. 8. v. 15. Hebr. 2. v. 15.) & amoris filialis, (de qua Matth. 25. v. 21.) Quando ergo Christus hoc loco inquit: Jam non dico vos servos, de prioribus duabus servitutis speciebus, non de tertia loquitur. Hanc Augustini & Hugonis responsonem judicamus satis congruam esse. Quemadmodum enim Apostolus servos hoc modo à filiis distinguit, quod servi non habeant Spiritum quod dicitur, filii verò habeant, Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6. & 7. quemadmodum etiam Christus eo modo servos à filiis*

filiis

filii distinguit, quod servi non sint heredes, nec in domo maneat in aeternum, filii autem heredes sint, & in domo maneat, Joh. 8, 35. ita quoque hoc loco servos ab amicis eâ ratione distinguit, quod servi non sint secretorum domini sui conscii, amici autem ab amico eadem cognoscant. Posset hinc accommodari distinctio inter שרת, ministerium, quod est liberorum; & עבירה, servitutem, quae est servorum, quibus duriter imperant domini, Jer. 22. vers. 13. quâ voce posteriore Syrus h. l. utitur. 3. Quidam hoc modo distingunt: Aliud est esse Christi servum, aliud ab ipso vocari servum, vel haberi pro servo. Noluit (inquiunt) Christus dicere, quo nomine prius discipulos vocavisset, aut quo deinceps vocaturus esset: sed quomodo sese ante erga illos gessisset, quomodo se jam gereret, & in posterum gesturus esset. Prius namquam erga servos se gessisse videri poterat, non ceteris quidem rebus, non duritie tractationis, non asperitate verborum, non appellationis ignominia: sed hac nimirum unâ re, quod obscurius cum illis locutus esset, neque divina Patris secreta fatis apertè exposuisset, quemadmodum non solemus servis nostra exponere mysteria, sed aliquid illis aliquando obscurius insinuare. Nunc verò erga illos tanquam erga fidos familiaresque; amicos se gessisse, cum palam illis & mortis & resurrectionis & futuræ gloriæ mysterium dilucidè exposuisset. Huic responsioni robor quæri posset ex vocabulo שָׂרְתִי, & ex eo, quod Joh. 16, 4. Christus subjicit: *Hec vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Item quod Apostoli in eod. cap. v. 29. dicunt: *Ecce nunc palam loquere, & proverbium nullum dicis.* Sed vix poterit probari, Christum in valedictoria demum concione divina Patris secreta apertè & perspicuè Apostolis exponere cœpisse, ac prius obscurius locutum esse, cum de omnibus fidei mysteriis, cum primis etiam de sua passione & morte, toto ministerii sui tempore fatis clarè & perspicuè ipsis fuerit concionatus, ac clariorem suarum concionum explicationem post resurrectionem demum securam promittat, Joh. 16, 25. *Hec in proverbii locutus sum vobis, venit hora, cum non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* 4. Quidam rationem assertionis hujus itidem quærunt in clariore divinorum mysteriorum manifestatione, non tamen respectu Apostolorum in schola Christi obscurius informatorum, sed ratione populi Israëliti in V. Test. *Significat* (inquiunt) *Dominus his verbis mutationem status servitutis legis in statum filiorum & amicorum Evangelii. Illis ut servis ratione status non revelavit Deus altissima Trinitatis mysteria incarnationis, adventus Spiritus sancti, & alia multa, nisi sub umbris & figuris, & confusâ quâdam ratione. At nobis explicuit & declaravit ut amicis.* Quod Deus mysteria illa Patriarchis & Prophetis in V. T. revelavit, illud dicunt factum esse ex peculiari quodam privilegio præter rationem status illorum, qui tunc serviebant: nobis autem ipsum eadem revelare non ex privilegio, sed ratione status Evangelii, qui est filiorum & amicorum, idcirco à minimo usque ad maximum hæc altissima, profundissima & secretissima mysteria credentes proponuntur, ita ut quod insignes illi Prophetæ & Patriarchæ tanquam arcana divinum conservabant, nunc pueri & puellæ per vias laudantes Dominum decantent, quæ

responsio ferè congruit cum prima. Certum quidem est, quod in N. Test. longè clarior divinorum mysteriorum facta fuerit manifestatio, quam in V. Test. interim mysterium Trinitatis, incarnationis & alia ad ipsum fidei fundamentum pertinentia non ex peculiari quodam privilegio solis Patriarchis & Prophetis, sed omnibus Vet. Test. fidelibus fære cognita, siquidem absque eorum aliquali notitia non potuissent salutis fieri participes. 5. Quidam distingunt inter hæc duo: *Vocari à Christo servum & seipsum vocare servum.* Apostoli Christum vocarunt Dominum, nusquam amicum, contra verò Christus eos vocavit amicos, fratres, non servos. Sic ergo foret sensus: Ego non dico vos servos, sed honestiori titulo vos compellabo, interim non debetis hoc nomine vos efferre, sed ex vera humilitate dicere, *servi inutiles sumus*, Luc. 17, 10. Atqui ostendimus superius, Christum Apostolos suos etiam posthac sæpius vocasse servos. Adde, quod apud Hebræos vocari sit esse. Jam verò Apostoli erant omnino servi, utique ergo à Christo poterant vocari servi. 6. Rupertus nomen servorum pro inimicis putat esse positum, idque colligit ex antithesi. *Jam non dicam vos servos*, hoc est, inimicos ac nondum cum Deo reconciliatos, *vos autem dixi amicos meos.* 7. Quidam statuunt, ad fructum proximè imminentis passionis respectum haberi. Jam per meam passionem & mortem liberabo vos à servitute legis, peccati, mortis & Diaboli; jam tollam à vobis jugum legis, & ab ejus maledictione vos liberabo, factus pro vobis maledictum; jam satisfaciam pro peccatis, adducam perfectam justitiam, & impetrabo vobis Spiritum sanctum, ut in posterum non spiritu servili, sed spiritu *ipsius Deus* five filiali Deo serviat, ac sitis servi non timore pœnæ, sed amore justitiæ, servitute procedente ex timore filiali, qui ex caritate oritur; jam cum morte & diabolo potentissimis illis hostibus congregiar, iisque devictis *per mortem meam destruam eum, qui habet imperium mortis, hoc est, diabolus, & liberabo eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*, Hebr. 2. v. 14. & 15. 8. Ex hisce responsionibus quædam utiliter ad explicationem verborum Christi applicari possunt, interim simplicissima & textui accommodatissima videtur illa responsio, quod Christus loquatur *de meris servis*, sive quod idem est, *de servis quâ talibus, de servis formaliter acceptis.* Jam non dico vos servos tantum, non dico vos meros & nudos servos, sed etiam simul amicos meos. Usitatum enim est apud Hebræos, non quandoque; accipi pro non solum, unde traduntur de hoc idiotismo tales regulæ: *Particule negative sæpè ponuntur pro comparativis.* Item: *Sæpè comparativus ita circumscribitur ut alterum ac quidem inferius ex duobus comparatis negetur, alterum affirmetur, cui excellentia tribuenda est.* Erasmus in cap. 9. Marci: *Negatio sæpè non planè removel, sed corrigit.* Flacius part. 1. Clavis p. 359. *Negatio cum videtur negare ipsam quasi rei essentiam, negat tantum aliquam ejus circumstantiam aut respectum.* Sic Genes. 32. vers. 28. *Non amplius vocaberis Jacob sed Israel*, hoc est, non solum vocaberis, vel non tam vocaberitis Jacob, quam Israël, quia etiam in posterum vocatus fuit Jacob, Exod. 16. vers. 8. *Non contra nos murmuratio vestra, sed contra Dominum*, hoc est, non solum contra nos, sed etiam contra Dominum,

Eeeee 3

minum, non tam contra nos, quàm contra Dominum. Jerem. 7, 22. *Non praecepi Patribus vestris de victimis, sed hoc praecepi eis, audite verba*, hoc est, non tam illud, quàm hoc mandavi. Similia exempla alibi passim occurrunt, 1. Sam. 8. versic. 7. Of. 6. v. 6. Joel. 2. v. 13. Marc. 9. v. 37. Luc. 14. v. 12. Joh. 5. v. 22. c. 6. v. 38. c. 12. v. 44. 1. Cor. 1, 17. &c. Ita quoque hoc loco: *Jam non dico vos servos, sed amicos meos*, hoc est, non solum servos, sed etiam amicos, non tam servos quàm amicos: quæ expositio confirmatur ex ἀπολογία utriusque antitheseos parti adjecta. *Servus enim nescit, quid faciat Dominus ejus*, hoc est, qui merus ac nudus servus est, qui non evectus est ad domini sui amicitiam, meris enim servis non aperiuntur dominorum suorum secreta, sed amicis. Eandem expositionem confirmat particula ἐτι. *Posthac non dico vos tales servos, qui nihil aliud sunt quam servi, qui non sunt simul amici, quia nota vobis feci omnia, quæ à Patre audivi*. Simon de Cassia lib. 12. c. 10. *Fuerunt Apostoli & servi & amici. Servi, dum mandata susceperunt; amici, quia servaverunt. Subjectio servum, dilectio facit amicum*. Ex quo fundamento facillè potest responderi ad secundam, quæ hoc loco movetur, quæstionem. *Quæritur enim porrò: Quo sensu Christus dicat, servum nescire quid faciat Dominus ejus, cum constet quibusdam servis voluntatem Domini sui esse notam?* Luc. 12. v. 47. Augustinus quæstionis difficultatem sic exaggerat: *Nunquid nam servo bono & probato Dominus ejus non etiam secreta sua committit? Quid est ergo, quod ait, servus nescit, quid faciat Dominus ejus? Verum, esto, nescit quid faciat. Nunquid nescit etiam quid præcipiat? Nam & si hoc nescit, quomodo servit? aut quomodo servus est, qui non servit? & tamen Dominus loquitur: vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis, jam non dicam vos servos. O rem mirabilem! Cum servare non possimus nisi præcepta faciendo, & nisi præcepta fecero, servare non potero. Ergo serviendo servus non ero? Quidam confugiunt ad sensum mysticum. Servi legis, peccati, mortis & diaboli nesciunt, quid faciat Dominus ipsorum. Sed hæc est potius accommodatio ad sensum mysticum, quàm literalis explicatio, manifestum est ex oppositione, Christum loqui de servis in vita communi. Augustinus responsionem quarit in distinctione servorum ex timore servili & filiali ferventium. Simplicissima responsio ex præcedentibus peti potest: *Servus*, quæ talis sive merus ac nudus servus nescit quid faciat Dominus ejus, quia servus nondum ad amicitiam evectus Domini non communicant sua secreta. Neque enim de exterioribus Dominorum actionibus vel etiam mandatis, sed de interiori consilio & intentione Dominorum hic propriè sermo est. Servus, quæ talis, nescit, quid faciat, hoc est, quid facere cogitet, seu quid in animo habeat Dominus ejus. Usitatum enim est, apud Hebræos verba activa interdum significare agendi voluntatem, Genes. 24. v. 58. Exod. 16. v. 23. 1. Sam. 21. v. 9. &c. Matth. 5. v. 23. cap. 10. v. 39. Act. 7. v. 26. 1. Corinth. 10. vers. 22. &c. Quando Dominus servi aliquid facit, servus quidem illud videt & novit, sed antequam faciat, non novit, nec quo consilio & fine faciat, novit, quia secretorum Domini sui non est conficius. *Quæritur 3. Quâ ratione Christus dicat, se omnia quæ à Patre audivit, Apostolis fecisse nota, cum tamen paulò post subjungat, Johan. 16. versic. 12. Adhuc**

*multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo portare, ac in Spiritu sancti adventum quædam reservari dixerit, Johan. 14. versic. 25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens, versic. 26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem Pater mittet in meo nomine, ille vos docebit omnia; cumque constet, arcana Dei judicium non esse Apostolis manifestata, Rom. 11. versic. 34. Sensum Domini, quis cognovit? Resp. 1. quidam τὰ πύρρα referunt ad passionem & mortem proximè imminentem. Indicavi vobis omnia in passione mihi eventura, quod est secretum ipsos Angelos & diabolos latens. 2. Quidam referunt ad futuram Apostolorum in hoc mundo sortem. Manifestavi vobis omnia, quæ in mundo vobis eventura, quæque in prædicatione Evangelii pro meo nomine estis passuri. Sed Christus disertè dicit: *Manifestavi vobis omnia, quæcunque audivi à Patre meo*. Ergo loquitur de mysteriis fidei, ac de consilio Dei salutem humani generis concernente, quæ à Christo in prædicatione Evangelii hæctenus manifestata, fuisse nemo potest negare. 3. Augustinus, verbum præteriti temporis pro futuro positum esse, statuit, ac refert ad beatitudinem cœlestem. Epist. 57. ad Dardanum: *Multa dicuntur in Scripturis tanquam facta sint, cum in spe adhuc esse intelligantur. Unde est & illud, quod Dominus discipulis ait: Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis, quod usque adeo secundum spem dictum est futurorum, ut eis postmodum dicat: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Id. tract. 86. in Johan. Quod facturus est, fecisse se dicit, quia ea, quæ futura sunt, fecit. Sicut enim dicit per Prophetam, foderunt manus meas, nec ait, fossuri sunt, velut præterita dicens, & ea tamen futura prædicens; ita & hoc loco ait, omnia se nota fecisse discipulis, quæ se novit nota esse facturum in illa plenitudine scientiæ, de qua dicit Apostolus, cum autem venerit, quod perfectum est, quod ex parte est, evacuabitur. Posset huic responsioni accommodari, quod Joh. 17. v. 4. dicit: *Se consummasse opus super terram, propter quod à Patre missus erat, cum tamen illud adhuc consummaturus esset. Sed non satis textui congruit, verbum præteriti temporis pro futuro hic accipere, quia Christus in præsentis loquitur: Posthac non dico vos servos, sed amicos*. Ergo etiam rationem, quæ id probat, de præsentis tempore accipi oportet. 4. Chrysostomus homil. 76. in Johan. accipit de illis, quæ Apostolos audire & scire conveniens erat. Eadem est sententia Theophylacti in h. l. Rectè quidem hoc dicitur, quia Christus non simpliciter & absolute dicit, manifestavi vobis omnia, sed omnia, quæ à Patre audivi, hoc est, quæ à Patre vobis manifestanda accipi, interim manet dubium, cur postea dicat: *Multa adhuc vobis habeo dicere*. 5. Gregorius homil. 27. in Evang. refert ad πρὸς εὐσιν vitæ æternæ in animis discipulorum. *Quæ sunt (inquit) omnia, quæ audivi à Patre suo, quæ nota fieri voluit servis suis, ut eos efficeret amicos suos, nisi gaudia internæ caritatis, nisi illa festa supernæ patriæ, quæ nostris quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit? Dum enim audita supercœlestia amamus, amata jam novimus, quia amor ipse notitia est. Omnia ergo eis nota fecerat, quia à terrenis desideriis immutata amoris, summi facibus ardebant. Sed Christus loquitur generaliter. 6. Thomas in h. l. sic explicat: *Omnia nota feci imperfectè, & in suis principiis, sicut licet in fide & doctrina, quam vobis tradidi. Sed Christus****

ffus non generalem & confusam, sed specialem & distinctam myfteriorum divinorum doctrinam Apostolis tradiderat. 7. Rectius ergo dicitur, Christum in ministerio suo Apostolos perfectè de via salutis instruxisse, adeoque omnia, quæ à Patre suo audiverat, ipsis nota fecisse, quia manifestavit eis Dei consilium de redemptione generis humani per Filium suum, tradidit eis doctrinam de sua persona, officio & beneficiis, docuit rationem consequendi remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam, ostendit, quibus fructibus fidem suam declarare debeant, videlicet mutuâ dilectione, propagatione Evangelii & patientiâ in cruce propter Evangelii confessionem toleranda. Utique ergo de omnibus necessariis sufficienter eos instruxit, quo autem sensu accipiendû sit, quod postea addit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed vos non estis modo portare*, inferius suo loco explicabitur. Spiritus sanctus, qui promittitur, Apostolos omnia docturus, non attulit secum novum genus doctrinæ, sed ea, quæ jam antè à Christo audierant, necdum satis intellexerant, magis perspicuè declaravit, & veritatem eorum in cordibus Apostolorum confirmavit, quin & ea, quæ oblivioni tradiderant, in memoriam ipsis revocavit, unde *ἐξ ἡγίας αἰτίας* causâ statim addit: *Spiritus sanctus docebit vos omnia & suggeret vobis omnia*, quâ de re plura superius. Colligitur autem ex his Christi verbis: 1. omnes homines propter peccatum esse naturâ servos, servos, inquam, legis, cujus maledictioni sunt obnoxii, unde dicuntur *esse sub lege*, Galat. 4. vers. 5. *servos peccati*, qui enim *facit peccatum*, *servus est peccati*, Joh. 8, 34. Rom. 6, 20. 2. Petri. 2, 19. *Servos mortis*, quia timore mortis obnoxii sunt servituti per totam vitam, Heb. 2, 15. *servos diaboli*, quia sunt sub potestate tenebrarum constituti, Col. 1, 13. Et quia *servus non manet in domo in æternum*, Joh. 8, 35. ideo nullus hominum per naturam potest cœlestem hereditatem sperare, sed omnes sunt è domo ejiciendi, & ab hereditate cœlesti excludendi. Diabolus per & propter peccatum totum genus humanum in suam captivitatem & servitutem redegit; & quia *virtus peccati lex est*, 1. Cor. 15, 55. ideo lex ab illa misera diaboli servitute homines nequaquam liberat, sed potius jugum servitutis auget, accusat enim & damnat peccatum, Rom. 3, 20. exigit perfectam obedientiam, nec subministrat obediendi vires, ac si vel maximè homo incipiat legi obedientiam præstare, tamen facit, hoc vel timore pœnæ, vel spe mercedis, ac proinde non ex spiritu filiali, sed servili, quâ ratione homo extra gratiam & extra Christum adhuc constitutus à servitute, in qua natus est, non liberatur. Quia etiam *stimulus mortis est peccatum*, ideo misera illa peccati servitus hominem temporalis & æternæ mortis servum facit. 2. De omnibus hisce servorum generibus verum est, quod Christus hoc loco dicit: *Servum nescire quid faciat Dominus ipseus*, id quod ex vita communi transfutum ad spiritualem servitutem applicari potest. Populus servilis legis, hoc est, illi, qui in lege justitiam quarunt, nesciunt, quid faciat Dominus ipsorum, hoc est, nesciunt, quo præcipuè sine Deo legem tulerit, videlicet ut peccatum ex ea cognoscatur, ut lex sit *pedagogus ad Christum*, Gal. 3, 24. qui est *finis legis ad justitiam omni credenti*, Rom. 10, 4. nesciunt, quid velint sibi legis ceremoniæ,

*Harm. Tom. III. vel Gerb. Contin. pars tert.*

quod sint typi Messia & beneficiorum ejus; nesciunt, quo sine Deo crucem immittat, ideo in cruce adversus Deum murmurant; nesciunt, an amore an odio digni sint, cum ipsius conscientia testimonio convincantur, quod legem perfectè non impleant. Qui sunt *servi peccati, diaboli & mortis*, illi itidem nesciunt, quid faciat Dominus, hoc est, non agnoscunt nec attendunt consilium Dei de salute humani generis, sunt in lupina divinorum myfteriorum ignorantia constituti, versantur in tenebris ignorantia, peccatorum & mortis. 3. Ab hac misera servitute Christus Dei Filius nos liberavit, ac potestatem dedit filios & amicos Dei fieri his, qui credunt in nomen ipsius, Joh. 1, 12. Liberavit nos à jugo legis, Esa. 9, 4. perfectissimam obedientiam nostri loco illi præstando & pro nostris transgressionibus perfectissimè satisfaciendo, ac Spiritus sancti donationem nobis impetrando, ut voluntariam in posterum obedientiam legi præstemus, & in filiali Spiritu Deo serviamus. Liberavit nos à servitute peccati, ut membra nostra justitiæ servire possint. Liberavit nos à servitute diaboli, mortis & inferni, ut simus servi Dei, heredes vitæ & salutis æternæ. 4. Nec solum à misera illa servitute nos liberavit, sed etiam amicos Dei fecit, omnia quæ à Patre audivit nobis nota faciendo. Inde jam scimus consilium Dei de salute nostra, scimus peccatorum remissionem, justitiam & vitam æternam propter Christum nobis contingere, scimus, Deum diligentibus omnia cooperari in bonum, Rom. 8. vers. 28. scimus, Deum, quod in nobis capit, opus bonum consummaturum, usq; in diem Jesu Christi, Phil. 1. v. 6. Hoc omne Christo summo & fidelissimo nostro amico unice acceptum referre debemus ac possuimus, quod cœlestium secretorum, & divinæ voluntatis notitiam habemus. *Amici inter se omnia habent communia, commiscunt invicem omnes curas, omnes cogitationes suas*, inquit Seneca Epist. 3. sic Christus omnia sua nobiscum communicavit. Filius Dei est & heres universorum, Hebr. 1, 2. fecit & nos Dei filios ac vitæ æternæ heredes. 5. Manifestatio illa divini de salute nostra consilii facta est in verbo Evangelii, in quo omnia, quæ à Patre audivit, Christus Apostolis & nobis omnibus nota fecit. Quæ enim Christus à Patre audivit, illa omnia Apostolis revelavit. Quæ Apostoli à Christo audiverunt, illa omnia in Scripturas redegerunt, nobisque revelarunt, Act. 20, 27. Ergo doctrina Evangelii est divina, quippe ex sinu Patris cœlestis prolata & est perfecta, continens omnia, quæ Christus à Patre audivit. 6. Hanc Dei gratiam magni æstimemus, agnoscamus ex eo immensam Christi dilectionem, quod voluntatè Patris in Evangelio nobis manifestaverit, magnificiamus doctrinâ Evangelii, cujus manifestatio divinæ amicitia est argumentum, atq; ita nos geram, ut in amicitia Dei constanter perseveremus. 7. Regnū Christi non est de hoc mundo, sed spirituale ac cœleste. Reges mundani subditos suos non vocant *amicos*, existimant enim, hoc dedecere ac minuere majestatem suorum regnorum: sed Christus omnes regni sui cives vocat *amicos*. 8. Qui nesciunt, quid faciat Dominus, servi sunt. Ergo qui dubitant, quo modo erga ipsos Deus sit affectus, servilem habent Spiritum. Quibus cor Dei paternum notum, illi sunt filii & amici.

Eeeee 4

Quartò





Quartò confirmat & exaggerat Christus dilectionem suam à gratuita Apostolorum electione. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constituivos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Cyrillus lib. 10. in Johan. cap. 24. statuit, exhortationis causâ hæc fuisse addita: Cum consolatus dolentes fuerit (inquit) & caritatis vicissitudinem necessariam eis ostenderit, hortatur eos iterum atque iterum, ut omni curâ reducere ad pietatem homines studeant, ac hujus rei exemplum seipsum proponit, dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ac si diceret: Cum imitari me debeatis, ô discipuli, quæ ipse in vobis feci, ea in aliis faciendâ vobis sunt. Ego elegi vos, vos non me: ego me notum vobis ignorantibus feci humanitate clementiaque commotus. Quare non debetis vos, qui mei discipuli estis, sedentes expectare, ut ultrò ad fidem homines veniant. Sed errantibus manus porrigendâ, & audire nolentibus salutaris sermo à vobis predicandus est, etiamsi vos acerbissimè persequantur. Quidam existimant, hæc eo fine à Christo fuisse subjecta, ne discipuli audientes se in amicitiam Christi receptos superbiendi occasionem inde arriperent, & inobedienciâ studio remissiores redderentur. Sed series textus ostendit, Christum adhuc versari in confirmatione & exaggeratione suæ dilectionis, quam novo hic probat argumento, à gratuita scilicet Apostolorum electione petito. Anteqvam verò nervum hujus argumenti expendamus, inquirendum est, de qua electione Christus hic loquatur. Constat ex scripturis sacris eligendi verbum referri vel ad res, vel ad personas. Quando ad res transfertur, significat, rem aliquam cæteris præferre, vel ad usum nobiliorem eam reputare, Genes. 13. v. 11. Deut. 12. v. 11. vel aliquid approbare, illudque ratum & gratum habere, Esai. 58. v. 6. Quando ad personas transfertur, tunc usurpatur, vel de Christo omnium electorum capite, Esai. 43. v. 10. Matth. 12. v. 18. vel de Angelis, 1. Timoth. 5. v. 21. vel de hominibus. Hoc loco manifestum est, non ad res sed ad personas referri, neque de Christo vel de Angelis, sed de hominibus, Apostolis scilicet, sermonem esse. Quando autem de hominibus verbum eligendi usurpatur, in genere significat aliquem seligere ad munia publica obeunda, sive ea sint Ecclesiastica, sive Politica, Exod. 18. vers. 25. Deut. 18. v. 5. 1. Sam. 10. vers. 24. Luc. 6. vers. 13. &c. In specie & in strictiore significatione usurpatur vel de toto Ecclesiæ cœtu quem ex omnibus gentibus Deus per Verbum sibi colligit, & in populum *ἐκλεκτον* eligit, Deut. 4. v. 37. cap. 7. v. 6. vel de veris & vivis Ecclesiæ membris, de illis scilicet qui verâ fide Christo Ecclesiæ capiti adhærent, & in ea usque ad finem vitæ perseverant, Ephes. 1. vers. 4. inde jam oritur quæstio, an Christus hic loquatur de electione ad consortium Ecclesiæ, an de electione ad Apostolatam, an de electione ad salutem eternam? Multi eliguntur, hoc est, vocantur ad Ecclesiæ consortium, qui tamen non eliguntur ad Apostolatam, vel ad Ministerium Ecclesiasticum. Nunquid enim omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? 1. Corinth. 12. v. 28. Multi eliguntur ad Ecclesiæ consortium, qui tamen non sunt electi ad salutem, ut patet exemplo *ἡγορευμένων*, qui ad tempus credunt, sed factâ tribulatione & persecutione deficiunt, Matth. 13. v. 21. Multi eliguntur ad Apostolatam vel Ecclesiasticum Ministerium, qui tamen non sunt electi ad salutem, ut patet exemplo Judæ. Utrique ergo hæc

tres electionis sive species sive modi sunt à se invicem distincti. Quidam igitur existimant, Christum hic loqui de electione temporaria, hoc est, de eâ electione, quâ Apostoli erant à Christo vocati tum ad Ecclesiæ consortium, tum ad summum Ecclesiastici Ministerii gradum. Probari potest hæc expositio: 1. ex addito electionis hujus fine. Ego elegi vos, & constitui vos, ut eatis in mundum, scilicet universum & prædicando Evangelium omni creaturæ, fructum copiosum afferatis, Matth. 28. 19. Marc. 16. vers. 15. Sicut agricolæ vineam plantaturi solent optimas vites eligere, ut ex illis vineam conficiant, Esai. 5. vers. 2. Jerem. 2. v. 21. sic ego vos elegi & plantavi, ut per Evangelii prædicationem Ecclesiæ vineam mihi paretis. 2. ex locis parallelis: Luc. 6. 13. vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominavit. Joh. 6. v. 70. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis est diabolus? cap. 15. v. 19. Ego elegi vos de mundo. Actor. 1. vers. 2. Præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit. 3. ex suffragio Veterum, præsertim Græcorum Patrum. Irenæus lib. 4. adv. hæres. cap. 28. Hæc est gloria hominis, perseverare ac manere in Dei servitute, & propter hoc dicebat discipulis Dominus: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, significans, quoniam non ipsi glorificabant eum, sequentes eum: sed in eo, quod sequerentur Filium Dei, glorificabantur ab eo. Chrysostom. homil. 76. in Johan. Non tantum amavi sed & multa beneficia contuli, palmites vestros ubiq; terrarum propagans. Eandem esse Cyrilli sententiam, patet ex ipsius verbis modò adductis. Quidam contra statuunt, Christum hic loqui de electione æternâ, hoc est, de eâ electione, quâ Apostoli erant ad salutem æternam electi. Probari potest hæc expositio 1. ex scopo. Christi scopus est, suam erga Apostolos dilectionem exaggerare. Jam verò longè majus beneficium est, quod Christus eos elegerit ad salutem, quàm ad Ecclesiæ consortium & Apostolatam, cum Judas ad Apostolatam quidem, non autem ad salutem fuerit electus. 2. ex loco parallelo Joh. 13. v. 18. Ego scio quos elegerim, quem locum de electione ad salutem accipiendum esse, superius in cap. 170. quatuor argumentis demonstravimus. 3. ex quorundam veterum suffragio. August. lib. 1. de prædest. sanct. c. 17. & tract. 86. in Joh. Prosper Aquitan. contra Collat. & in Psal. 31. ut etiam Beda in comm. h. l. referunt ad electionem factam ab æterno, atque ex hoc dicto probant, nullam dari in nobis electionis illius causam meritoriam vel impulsivam, sed eam esse merè gratuitam. Posset addi 4. quod Christus jam antè beneficium in vocatione ad Ecclesiæ consortium, & Apostolatam discipulis præstitum exaggeraverit, quod scilicet in scholam suam eos jam olim vocaverit, & omnia quæ à Patre audivit, ipsis notafecerit, ut non ipsi solum de fidei mysteriis sufficienter informarentur, sed etiam alios de illis informare possent. Sed hæc duæ interpretationes non sunt oppositæ, sed subordinatæ. Utrique enim modo suam erga Apostolos dilectionem demonstravit, tum ad Ecclesiæ consortium & Apostolatam eos in tempore vocando, tum ad æternam salutem ab æterno eos eligendo. Utraque electio est gratuita, utraque facta est per Christum, Ephes. 1. v. 4. cap. 4. v. 11. utraque facta est sine eo, ut electi fructum afferant, & fructus eorum maneat. Utraque ergo expositio optimâ

optimâ ratione conjungi potest. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* ad Ecclesiæ consortium, ad Apostolatam & ad salutem, ac posui vos, ut eatis & fructum afferatis, tum in privato pietatis studio, tum in publica Evangelii prædicatione, & fructus vester maneat. Duplici autem modo hoc argumentum ab electione desumtum Christus exaggerat. 1. respectu causæ efficientis. 2. respectu causæ finalis. Causam efficientem illustrat & exaggerat ab antithesi. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Rupertus in h. l. *Non vos me elegistis, sicut populus Regem suum solet eligere, non vos mihi, sed ego vobis auctoritatem dedi.* Simon de Cassia lib. 12. cap. 10. *Non vos me elegistis, amicum, quem amaretis; nec Dominum, quem utiliter timeretis; nec Magistrum, quem audiretis docentem superna diligere, ac terrena contemneret. Non vos me elegistis ducentem ad visibilia & invisibilia bella contra colluctationem spirituum immundorum, contra carnem & sanguinem. Non me elegistis pastorem, quem sequeremini, qui vos defenderet à lupis, qui pasceret vos in locis uberrimis. Non me elegistis Redemptorem, vos & omne humanum genus sanguine meo redimentem. Non me elegistis Deum vestrum cælestia regna donantem. Sed ego, qui quod generi humano expediebat, agnovi, ad omnia beneficia & quæq; optima vos elegi.* Per hanc electionis circumstantiam, quod scilicet sit gratuita, 1. exaggerat Christus suam dilectionem, quod non contentus fuerit eos in tempore vocare, secreta Patris ipsis manifestare, inque suam amicitiam eos recipere: sed quod etiam sine præcedentibus meritis gratis ad summum Ecclesiastici ministerii gradum, & ad æternam salutem eos elegerit. 2. ostendit, quod non fuerit ab Apostolis prius se amantibus? ad eos redamandis provocatus, sed quod dilectione suâ eos prævenierit, inque numerum suorum amicorum eos nihil tale cogitantes, multo minus promerentes receperit. Chrysostr. in h. l. *Elegi vos, hoc est, in amore præcurri, nec hoc contentus & posui vos, hoc est, plantavi, ut me diligeretis.* 3. occurrit ἀποδοτικὴν ἄλλοις falsæ persuasioni, ne quis fortè cogitet amicitia illi? de qua dixerat, originem & fontem in Apostolis sic dicit & ab illis ortam esse, 1. Joh. 4. v. 10. *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* 4. exponit causam sui erga Apostolos & omnes credentes amoris, quæ non sunt quædam ipsorum merita, sed gratuita Dei electio. Ut autem exaggeratio dilectionis in hac gratuita electione proposita sit illustrior, consideranda est emphasis pronominum *ego & vos.* Ego, qui sum El Schaddai, ἀγαπήσατο, nullius omnino egens, Genes. 17. v. 1. ego, inquam, vos elegi. Ego, qui nullius sum debitor, cui nullus aliquid prior dedit, ut ei retribuatur, Job. 41. 2. Rom. 11. v. 35. ego, inquam, vos elegi. Ego, qui iusto iudicio vos omnes repudiare ac damnare poteram, vos elegi, non solum ad Ecclesiæ consortium, sed etiam ad Apostolatam supremam Ministerii Ecclesiastici gradum; non solum ad regnum gratiæ in hac vita, sed etiam ad regnum gloriæ in futura vita. Ego elegi vos, multis aliis non solum in communi sorte, sed etiam in massa corruptionis ob prævisam eorum incredulitatem & impoenitentiam iusto iudicio relictis, (eligere enim in propria sua significatione semper includit quandam separationem) elegi vos, nullo vestro merito id impetrantes. Elegi vos, nec potentia, nec sapientia, nec divitiis, nec generis nobilitate præ-

aliis illustres & conspicuos. Hæc omnia pertinent ad illustrationem & exaggerationem causæ efficientis. Causam finalem exaggerat Christus à fructus, ad quem proferendum electi erant, duratione. *Elegi vos, & constitui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Commendat ergo electionis beneficium non solum à conditione causæ efficientis, quod sit merè gratuita nullis præcedentibus meritis debita, sed etiam à conditione causæ finalis, quod magna ex ea utilitas ad Apostolos sit redundatura, ea scilicet quam Apostolis in se manentibus promiserat, & propter quam eos, ut in se manerent, exhortatus fuerat, quod & copiosum & durabilem fructum electionis huius beneficio sint allaturi. Ut per conditionem causæ efficientis removet falsam opinionem, quasi electio facta sit ex merito & non ex gratia: ita per hanc conditionem causæ finalis removet falsam opinionem, quasi propter suum ipsius commodum Apostolos elegerit, quorum utrumque ad exaggerationem huius beneficii plurimum facit. Verbum ἐθέλω quidam positum arbitrantur pro ἀπέδειξα, declaravi. Cum enim in officio aliquis eligitur, tunc prius eligitur, hoc est, designatur, deinde electus declaratur, & in officio ipso per quandam quasi investituram constituitur: sic Christus Apostolos prius elegit, hoc est, designavit, Matth. 10. 1. Marc. 3. 14. Luc. 6. 3. deinde velut in possessionem Apostolatam quasi immisit, & in Apostolos electos esse publicè declaravit, quando ad prædicandum Evangelium eos ablegavit, Marc. 6. vers. 7. Luc. 9. v. 1. Græci Interpretes statuerunt, CHRISTUM ad similitudinem vitis & palmitum initio propositam alludere. Chrysostr. in h. l. *Posui vos, hoc est, plantavi, adhuc in vitis metaphoram perstat.* Theophylactus in h. l. *Plantavi vos ut eatis, hoc est, ut crescat & expandamini & extendamini, fructumq; afferatis.* Hoc autem loco manifestè agricolam se esse introducit. Et superius quidem quando dicebat, mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, ostendit, seipsum purgantem, nunc autem manifestius per hoc quod dicit, ego elegi vos & posui vos. Nam agricola hoc facere dicitur, & ponit sub terram palmites. Ex quo postea æqualitatem Patris & Filii contra Arianos probat. Gregorius hom. 27. in Evang. *Posui ad gratiam, plantavi ut eatis volendo, quia velle aliquid facere, jam mente ire est, & fructum afferatis operando.* Potest etiam verbum *posui* referri ad firmitatem & stabilitatem electionis, tum temporariæ ad Apostolatam, tum æternæ ad salutem, 2. Tim. 2. v. 21. quia fundamentum poni dicitur, quando probè stabiliter ac firmatur, Luc. 6. v. 48. c. 14. 29. 1. Cor. 3. 10. ac Christus dicitur *positus in lucem gentium*, hoc est, stabili ac firmo Dei decreto constitutus, ut sit lux gentium, Act. 13. 47. Sensus igitur est: Ego in officio Apostolatam, ad quod à me electi estis, ita vos posui ac firmavi, ut nullæ hostium vires ministerium vestrum impedire debeant; ego etiam salutem vestram ita firmavi ac stabilivi, ut nulla diaboli vis eam vobis eripere vel intervertere possit. Act. 20. vers. 28. 1. Corinth. 12. v. 28. 1. Timoth. 1. v. 12. cap. 2. v. 7. verbum hoc usurpatur de constitutione in officio, quæ significatio itidem huic loco accommodari potest. 1. Thess. 5. versic. 9. usurpatur de electione ad salutem æternam, ut sic ex hoc ipso quoque verbo confirmari possit, quod superius diximus, de electione tum ad Apo-

ad Apostolatunt, tùm ad salutem aeternam hoc loco sermonem esse. Illud ipsum confirmat fructus, quem electionis illius finem Christus statuit. Fructus enim ille est duplicis generis, quidam concernit solos Apostolos, quem nominare possumus *fructum privatum*, quidam verò concernit Ecclesiam & aliorum salutem, quem nominare possumus *fructum publicum*. Positi erant Apostoli à Christo, ut afferrent primo fructus privatos, h. e. ut essent *frugiferi in bonis operibus*, Tit. 3. v. 14. ut *fructus Spiritus & justitiae* proferrent, Gal. 5. v. 22. Eph. 5. v. 9. Phil. 1. v. 11. quos fructus cum omnibus verè credentibus habuerunt communes. Deinde ut afferrent fructus publicos, hoc est, ut per prædicationem Evangelii multos ad regnum Christi & ad salutem aeternam perducerent. Quemadmodum enim palmites ex vite transumpti ponuntur, hoc est, plantantur, ut progressu temporis ex illis subinde magis magisque propagatis vinea efficiatur: ita Christus hoc loco dicit: *Ego vos Apostolos posui & plantavi*, ut eatis in universum mundum, prædicaturi Evangelium omni creaturæ, ut latius vos extendatis, ut crescatis sicut palmites, & propagines vestras longè lateque extendatis, Plal. 80, 10. Non enim vestri tantum causâ electi estis, sed ut etiam alios vestro ministerio ad veram Dei cognitionem, & ad salutem aeternam perducatis. *Non elegi & posui vos*, ut domi desides sedeat, nec ut in via Domini stetis: sed *ut eatis*, sicut Medici ad ægrotos, pastores ad oves, ac fructum afferatis, multorum scilicet conversionem & salutem. Nolite expectare, donec homines ad vos veniant, sequere de via salutis instrui petant: sed ipsimet sponte ad eos ite, lapsis manum porrigite, errantibus viam, monstrate, sedentibus in tenebris lucem ingerite, quod me hæc fecisse & hac in parte exemplo vobis præluxisse vidistis. Priorem expositionem de fructibus privati amplectitur Augustinus tractat. 86. in Johan. *Imus* (inquit) *ut fructum afferamus, & ipse est via, quâ imus, in qua nos posuit ut eamus. Maneat dilectio, ipsa est enim fructus noster*. Posteriorem expositionem de fructibus publicis sequitur Chrysostomus in h. l. *Non tantum amavi, sed & multa contuli beneficia palmites vestros ubiq; terrarum propagans*. Sed ut electio ad Apostolatunt & salutem hic conjunguntur; ita quoque duplex illa Apostolorum fructificatio optimâ ratione conjungi potest. Idem ergo statuendum de sequenti membro, in quo fructus Apostolorum mansurus dicitur. Mansit Apostolorum fructus privatus, cum enim seminaverint in Spiritu, de Spiritu messuerunt vitam aeternam, Galat. 6. v. 8. mansit etiam Apostolorum fructus publicus, quia Ecclesia, quam per Evangelii prædicationem colligere cœperunt, mansit in præsentem usque diem, manebit usque ad diem extremi judicii, 1. Cor. 11. v. 26. manebit in omnem aeternitatem, cum ipsa inferorum portæ ei non possint prevalere, Matth. 16. v. 18. doctrina Evangelii, quam prædicarunt, mansit in præsentem usque diem, imò manebit in omnem aeternitatem, Esa. 40, 8. Luc. 21, 33. 1. Pet. 1, 23. Scriptura Apostolica doctrinam Apostolorum continens mansit in præsentem usque diem, nec ullâ persecutorum violentiâ vel fraudulentâ aboleri potuit. Hoc ergo ad Apostolorum consolationem Christus subjicit: Ablegabatur illi ad Evangelium in toto orbe prædicandum sine po-

tentia externa sine, humanæ sapientiæ & eloquentiæ viribus; ablegabantur ad Judæos Mosaicis legibus firmiter adherentes, & gentiles patriarum superstitionum tenacissimos. Cogitare igitur poterant, se frustra laboraturos: sed Christus promittit eis, quod non solum fructificaturi sint, sed etiam ejusmodi fructum allaturi, qui sit mansurus in aeternum. Percipiebant magna in cursu ministerii sibi impendere pericula & adversa, cogitare igitur poterant, quâ tandem spe premii tot molestias devorabimus, sicut Petrus dicit, Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondet Christus, magnorum laborum in prædicatione Evangelii subeundorum & magnorum malorum pro meo nomine tolerandorum gloriosus & in aeternum manens erit fructus, orbimini aeternis præmiis, perinde ut etiam Matth. 19. v. 28. respondet, *sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. vers. 29. *Et omnis, qui reliquerit domum vel fratres &c. propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam aeternam possidebit*. Nec solum eos consolatur & animum ipsis addit, ne propter muneris difficultatem vel hominum Evangelio adversantium perversitatem desperent: sed etiam exhortatur eos, ut in studio pietatis & in partibus officii sibi demandati peragendis strenuè pergant, scientes laborem suum non fore inani in Domino, 1. Cor. 15, 57. sed copiosum ac perennem fructum allaturum. Sequitur autem hæc consolatoria & exhortatoria promissio ex prioribus. *Ego elegi vos & posui vos, ut eatis & fructum afferatis*. Ergo fructus ille vester manebit. *Ego posui vos Apostolos in Ecclesia*, 1. Cor. 12. v. 27. ego constitui vos fundamenta Ecclesie, Apocal. 21, 14. ergo nemo poterit consilium meum in colligenda per vos Ecclesia impedire vel intervertere, sed fructus vester manebit. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Matth. 28, 20. *Si in me manseritis, ejusmodi fructum afferetis, qui in aeternum maneat, quia ego in aeternum maneo*. Quidam statuunt, per fructum manentem intelligi justitiam Evangelicam, quæ justitiæ legali haud diu duraturæ multò minus mansuræ opponatur. Sed si ad collationem ministerii V. ac N. Test. hic confugere velimus, concinnius erit statuere, quod Moysi & Apostolorum ministerium sibi invicem opponatur, sicut etiam Paulus illud vocat *καταργήσεις*, hoc verò *μείων*, 2. Cor. 3. v. 11. Chrysostomus in h. l. pulchrè colligit: *Si fructus vester manebit. Ergo & longè magis vos manebitis, hoc est, tamdiu incolumes à me servabimini, donec ministerii vestri cursum absolveritis, quo consummato in gloriam caelestem à me recepti aeternos fidelitatis vestre fructus percipietis*. Quia verò de utraque electione, tùm temporaria ad Apostolatunt, tùm aeterna ad salutem verba Christi accipi posse diximus; ideo distinctè de utraq; juxta ductum verborum Christi quædam monebimus. Electio ad Apostolatunt & ad ministerium Ecclesiasticum 1. autorem habet Christum Jesum. Is enim non solum in diebus carnis suæ quosdam ex discipulis suis elegit, quos nominavit *Apostolos*, Luc. 6. v. 13. sed etiam adhuc hodie sedens ad dextram Dei, dat Ecclesie suæ *doctores & pastores*, Ephel. 4. v. 11. Ergo Ecclesie ministri à Christo ad illud officium se electos esse noverint, id quod pastores ad fidelitatem, auditores ad reverentiam erga ministerium excitare debet.

debet. 2. est merè gratuita. Prævenit Deus sua electione ad Ministerium omne hominis desiderium, ac proinde nullum hic præcedit meritum. Jeremiam, Johannem Baptistam & Paulum segregavit Deus ab utero ad ministerium, Jer. 1. v. 5. Luc. 1. v. 15. Gal. 1. v. 15. quæ ibi potuerunt esse ipsorum merita? 3. sit ad labores. Christus non dicit: *Ego elegi vos, ut otiemini* ut domi desides sedeat: sed *ut eatis & fructum afferatis*, hoc est, ut laboretis & prædicando Evangelium fructificetis. Non dicit: *Elegi & posui vos*, ut fructum ab aliis petatis, ac privato vestro quæstui incumbatis: sed *ut fructum afferatis*, & aliorum, non autem vestra commoda quærat, 2. Corinth. 12. vers. 14. *Non quæro vestra, sed vos*. Nec dicit Christus: *Ego elegi vos*, & *constitui vos Principes mundi*, ut imperia terrena affectetis, Reges de solio deturbetis ac colla ipsorum pedibus conculcetis, sed *ut fructum afferatis*. 4. habet promissionem fructificationis. *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*. Qui ergo ad ministerium vocati sunt, in omnibus sudoribus, periculis & adversis erigant se hac promissione, quod multos ad veram Dei agnitionem & salutem perducendo uberes fructus sint allaturi. Psalm. 84. vers. 7. & 8. 5. Fructus, quem Ecclesiæ doctores afferunt, est durabilis & perseverans, non solum quia æterna laborum suorum in cælo percipient præmia, sed etiam quia Ecclesiæ, quam ministerio suo Christo colligunt, contra omnes hostium insidias & violentiam omnem divinitus conservatur. Chrysostr. in orat. cont. Judæos: *Quos bella adversus Ecclesiam concitata sunt! quot exercitus instructi! quot arma mota! quod non afflictionum genus excogitatum! sartagine, lebetes, fornaces, precipitia, bestiarum dentes aliq; innumera tormentorum genera: nihil tamen horum dissolvit Ecclesiam*. Electio piorum ad vitam æternam itidem 1. autorem habet Christum. Johan. 13. vers. 18. Duplici enim ratione Christus ad electionem concurrat. Primò ut verus cum Patre & Spiritu sancto Deus unâ indivisâ actione nos eligit ad salutem. Secundò ut constitutus humani generis Mediator & Redemptor, est in quo & propter quem ad vitam æternam sumus electi, Eph. 1. vers. 4. Christus ergo est ἀρχηγός ἡμῶν τελειώτης nostræ fidei & salutis, Hebr. 12. v. 2. 2. est merè gratuita. Si nulla in Apostolis fuit causa electionis ad Apostolatium, multò minùs in nobis erit causa meritoria electionis ad salutem, cum vita æterna sit longè majus bonum, quàm dignitas Apostolatus. Rom. 9. v. 11. c. 11. v. 5. & 6. Eph. 1. v. 4. 5. & 6. & c. Augustinus tract. 86. in Joh. *Audi, ingrate, ingrate, audi! Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Non est ut dicas: ideo electus sum, quia jam credebam (propter fidei meritum) Si enim credebas in eum jam elegeras eum. Sed audi, non vos me elegistis. Non est, ut dicas, antequam crederem, jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus, omne quod non est ex fide, peccatum est? Quid ergo dicturi sumus audiendo, non vos me elegistis, nisi quia mali eramus & electi sumus, ut boni per gratiam nos eligentis essemus? Non est enim gratia, si præesserant merita. Est autem gratia. Hæc igitur non invenit sed effecit merita. Ex videte carissimi, quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit, faciat bonos. Ego, inquit, elegi vos & posui vos, ut eatis & fructum afferatis. Nullum itaq; fructum, unde nos eligeret, habebamus. Hinc pertinent omnia dicta, quæ testantur, Deum nullum esse debitorem, neminem Deo quicquam*

dedisse, propter quod ad retributionem ipsi sit obstrictus, Job. 41. v. 2. Rom. 11. v. 35. & c. quo sensu etiam hoc Christi dictum accipi potest. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Non prævenistis vestris meritis aut studiis meam dilectionem & ex dilectione factam electionem. Nullius vestrum debitor sum, nec ullo opere promeriti estis, ut ad tantam dignitatem & felicitatem eligeremini, Esai. 43. 22. *Non me vocasti Jacob, nec laborasti in me Israel & c.* Maldonatus in h. l. distinguit inter electionem ad gratiam & ad gloriam. Illam gratuitam esse concedit, hanc verò meritorum prævisionem includere asserit. Atqui contradicit hæc distinctio hypothesebus Pontificiorum, qui ut electioni ad gloriam subternunt merita de condigno, ita electioni ad gratiam merita de congruo. Contradicit etiam Scripturæ sacræ, quæ non solum electionem ad gratiam, sed etiam electionem ad gloriam docet esse merè gratuitam, ut patet ex dictis allegatis. Inverti ergo debet hæc distinctio. Si electio ad gratiam est merè gratuita, utriusque etiam, imò multò magis electio ad gloriam erit gratuita. Ratio connexionis pendet tum ex conformitate decreti divini cum executione, tum ex sublimitate cælestis gloriæ. Sed verum prius Deut. 7. v. 7. & seqq. cap. 9. v. 6. Ergo etiam posterius. At, inquis, quomodo congruit cum hoc Christi dicto, quod Josua ad populum Israëliticum dicit, Jos. 24. v. 22. *Testes vos ipsi, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviat ei?* Resp. populus Israëliticus eligens Dominum ad serviendum illi, jam dum à Deo in peculium electus erat. Ergo suâ electione nequaquam prævenit electionem Dei. Nomen electionis ibi accipitur pro spontanea ad cultum divinum oblatione, & pro lœnni testificatione, quod in servitio veri Dei constantes manere velint. Serviat autem nobis meditatio gratuita electionis, ut agnoscamus, nostram salutem non ex nostris meritis, sed ex gratia divina unice pendere. Ut enim electio, ita quoque vocatio, justificatio & glorificatio est merè gratuita; ut pro gratuita electione debitas Deo gratias agamus; ut beneficium electionis eò majoris æstimemus, quælibet enim dona eò apparent majora & digniora, quò minùs eadem fuerimus promeriti; ut coram Deo nos seriò humiliemus, agnoscentes quicquid in nobis boni, id à Deo esse, nostrum verò nihil esse nisi peccata; ut donis tum ministrantibus, tum sanctificantibus, utpote ex mera gratia collatis rectè utamur, ut in tentationibus de perseverantia, & in omnis generis afflictionibus firmum solatium habeamus, scientes, Deum, qui ex gratia nos elegit, vocavit & justificavit, ex gratia nos glorificaturum & c. 3. facta est ad studium bonorum operum in hac vita, & ad consortium cælestis gloriæ in futura vita. Ephes. 1. vers. 4. *Elegit nos, ut essemus sancti & immaculati coram ipso in caritate*. Ergo non sumus electi, ut otiemur & simus infrugiferi, multò minùs ut malos proferamus fructus, sed ut eamus & fructum afferamus, ut simus divites in bonis operibus, 1. Timoth. 6. vers. 18. ut bonarum arborum instar bonos proferamus fructus, Matth. 7. vers. 17. ut aliis bono exemplo præluceamus, ut in studio pietatis quotidie proficiamus euntes de virtute in virtutem, Psalm. 84. vers. 7. 4. habet promissionem copiosi fructus. *Qui enim seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam*, Galat. 6. vers. 8. *Pietas habet promiss-*

promissionem presentis & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8. Bona opera sequuntur nos ex hoc mundo euntes, Apoc. 14. v. 13. nec delicias, nec divitias, nec honores ex mundo nobiscum efferimus, sed bona opera. Non transeunt bona opera, sed velut frugifera quædam semina centesimum fructum afferentia jaciuntur. *Qui hic seminant in lachrymis, metent in exultatione*, Pl. 126, 5. 6. Fructus ille bonorum per se non est transitorius, sed perseverans in æternum, quia præmia bonis operibus promissa non sunt transitoria, sed æterna. Impiorum labor non solum peritorius est, sed etiam peremptorius, etsi enim multas in hoc mundo divitias congregant, tamen nullum ex illis post mortem percipiunt fructum. Pereunt divitiæ, & perit cum illis earum congregator, quemadmodum ergo Hieronymus in prologo, galeato monet, *ut discamus ea in terris, quorum scientia perseveret in cælis*: ita hæc promissio Christi nos excitet, ut ea operemur in terris, quorum fructus perseveret in cælis, Matth. 6, 20. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo &c.* Gregor. hom. 27. in Evang. *Omne quod secundum præsens seculum laboramus, vix usque ad mortem sufficit. Mors namque interveniens fructum laboris nostri abscindit. Quod verò pro æterna vita agitur, etiam post mortem servatur, & tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus ceperit non videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, ubi ipsa terminatur &c.* Tales ergo fructus operemur, qui maneant, tales fructus operemur, qui cum mors cuncta interimat, ipsi exordium à morte sumant.

Quinto & ultimo confirmat atque exaggerat Christus dilectionem suam ab exauditionis impetratione. *Ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Pendet hoc membrum ex præcedentibus. *Posui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Ostendit enim Christus, Apostolos promissum illum fructum in ministerio suo allatos non propria industriâ ac propriis viribus, sed virtute & auxilio Dei, qui piis precibus invocatus vim fructificandi ipsis sit daturus, ac laboribus ipsorum benedictionis incrementum largiturus. Interim cum promissio ipsa sit generalis, *quicquid petieritis Patrem &c.* ideo rectè accipi potest, ut novum confirmationis argumentum, quo Christus suam erga Apostolos dilectionem probat, ut sit sensus: Ego insignem meam erga vos dilectionem demonstro, non solum mei ipsius in mortem pro vobis factâ traditione, vestram in meam amicitiam receptione, consilii divini vobis factâ manifestatione, ac gratuita vestrum ad Apostolatam & salutem electione: sed etiam exauditionis impetratione, reconciliavi vos Patri meo cœlesti, ac vobis hanc gratiam promerui, *ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Optimo ergo ordine hæc verba præcedentibus junguntur. Præterquam enim quod 1. dilectio Christi illis exaggeratur, cum summi beneficii loco illa exauditionis impetratio meritò habeatur: quodque 2. ministerii fructum esse divinæ gratiæ precibus impetrandæ effectum, iisdem docetur: simul eadem 3. respectum habent ad verbum *elegi*. Duplicem enim ex electione ad Apostolatam, & ad salutem ad Apostolos redundare utilitatem, docent, tum *ut eatis & fructum in æternum manentem afferant*, tum *ut quicquid ex fide in Christi nomine petant, à Deo impetrent*, siquidem inde atque ideo preces piorum exaudiuntur, quia sunt in Christo

electi & dilecti Dei filii. 4. Possunt etiam referri ad præcedentem exhortationem. Duplici enim argumento Christus ad fidei constantiam Apostolos fuit hortatus. *Si in me manseritis, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* v. 7. In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum copiosam afferatis. Ad utrumque promissionis membrum Christus hoc loco respicit, dicens: *Ego elegi vos & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, ut fructus vester maneat, ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis, quasi dicat: hoc omne mihi unice acceptum referre debetis, quod in me manentes fructum manentem afferitis, & quævis ad hanc & futuram vitam necessaria à Deo impetrare poteritis.* 5. Christus iisdem verbis Apostolos solatur, iisque animum addit in munere Apostolico. Novi equidem multa impedimenta in vestro munere vobis objectum iri, novi adversarios vos habere & multos & magnos, sed Deus auxilio & præsidio vobis erit piis precibus in meo nomine invocatus. Si in vocatione vestra eritis fideles & constantes, nec præsidium nec auxilium vobis deerit, sed Deus succellum & incrementum vobis largietur. 6. Ad fructus Spiritus non solum pertinent illi, quos Apostolus enumerat, Gal. 5, 22. *caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia*, sed etiam serâ & ardens Dei invocatio, per quam incrementum reliquorum fructuum spiritualium & donorum divinatorum impetrare possumus. Meritò igitur quando Christus dixerat: *Posui vos, ut fructum afferatis*, subjunxit, *ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* 7. Simul etiam ostendit, quorum preces à Deo exaudiantur, videlicet non peccatorum, Joh. 9. v. 31. sed eorum, qui Deo in vocatione sua serviunt, & fructus ipsi gratos proferunt, ideo præmittit Christus, *ut fructum afferatis*, ac postea demum addit, *ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Theoph. in h. l. *ἀλλ' ἡ κατὰ τὸν Θεὸν ἐστὶν ἡ ἀληθινή, ἐπὶ ἧς ὁ μὴ κατὰ τὸν Θεὸν ἐστὶν ὁ σὺνθεσθητὴς καὶ ψυχῶν φελέων ἀιτᾶται: Nisi fructum feramus, non accipiemus. Nam qui fructum non fert, is ne conducentia quidem, & utilia anime petit.* Hæc omnia ostendunt, quàm aptè & concinnè membrum hoc præcedentibus jungatur. Particula *ut* non causam sed consequens notat. Quando in vocatione vestra fideliter laborabitis, futurum erit, ut nihil non per preces à Deo impetretis. Chrysostr. & Theophylactus *δὲ* reddiderunt in prima persona, legerunt enim absque subscripto jota, *ut quicquid petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*, atque ex eo probant Patris & Filii æqualitatem contra Arianos. *Ejus qui petitur, est facere* (inquit Chrysostr.) *quod si ergo Pater petitur, quomodo Filius facit? ut non minorem Patre intelligas.* Theophyl. eodem modo: *Tametsi oportebat juxta consequentiam ita dicere: Quæcumque petieritis Patrem, dabit vobis, sed dixit: Ego dem vobis, eò quod omnino sit ejusdem potentie. Quia & Pater, qui dat, per dextram suam dat, dextra autem ejus est Filius.* Sed probationes & plures Codd. Græci legunt *δὲ* cum jota subscripto, *det vobis*, quo modo etiam legunt vulgatae & Syrus Interpres. Doctrina de Patris & Filii æqualitate deduci potest ex collatione hujus loci cum Johan. 14. v. 13. & 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Hic vero dicit: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc dabit*

dabit vobis. Ergo Pater & Filius est unus verus Deus, unus precum exauditor, unus charismatum dator, quorum enim operatio una, eorum etiam una potestas; & quorum est una potestas, eorum etiam una est natura. Quid vero sit in Christi nomine petere, & quam certa ac salutaris sit illa promissio de precum nostrarum exauditione, de eo superius latè egimus; hoc loco peculiariter notandum, quod quæ ministri Ecclesiæ in usum officii sibi divinitus demandati petunt, ea à Deo impetrare possint, id quod ad partes muneris sui alacriter obeundas ipsos animare debet.

Sequitur tandem 4. exhortationis conclusio repetitione propositionis constans, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Chrysostom. homil. 76. in Joh. & qui ejus vestigiis libenter insunt, Theophylactus & Euthymius, verbum ἐντέλλομαι accipiunt positum pro λέγω vel ἀναγγέλλω. Hæc quæ de meo erga vos amore dixi hæcenus, quod animam meam pro vobis ponam, quod in meam amicitiam vos receperim, quod omne consilium Dei de salute vestra vobis manifestaverim, quod ad Apostolatam & salutem vos elegerim, quod precum exauditionem vobis impetraverim, hæc, inquam, omnia non commemoro vobis, vel meæ gloriationis vel cujusdam exprobrationis sed exhortationis causâ, videlicet ut dilectionis meæ multis indicii & argumentis demonstratæ exemplo ad mutuum dilectionem vos incitem, quæ expositio probari posset, tum ex pronome plurali ταῦτα, tum ex eo, quod verbum ἐντέλλομαι LXX. usurpant pro ἔειπεν, dixit, enarravit, Jos. 11. v. 9. Eth. 2. v. 15. pro ἔειπεν, locutus est, Jos. 4. v. 12. cap. 11. 23. 1. Reg. 13. vers. 17. Sed verbum ἐντέλλομαι in Nov. Testam. nunquam aliter usurpatur quam pro mandavit ac præcepit, in Vet. Test. usitatissimè ponitur pro ἔειπεν, præcepit, sicut etiam Syrus utitur verbo קצב, disposuit, jussit, mandavit. Pronomen plurale ταῦτα ponitur pro singulari τὸ per usitatam numeri enallagen. Ac voluit Christus ideo plurali numero uti, quia in v. 14. dixerat: Vos amici mei estis, si feceritis quacunq; ego præcipio vobis, quasi dicat: hæc sunt illa mea præcepta, de quibus dixi, videlicet ut vos invicem diligatis. Cajetanus pronomen ταῦτα refert ad sequentia, & conjunctionem ἵνα accipit causaliter; sensu eo: Quæ dicturus vobis sum de mundi odii & persecutionibus, eo spectant, ut afflictionibus purgati vos invicem sincerius & ardentius diligatis. Quidam ex veteribus itidem referunt ad sequentia, sed aliam tradunt connectionis rationem. Si mundo, qui vos odio habiturus est, resistere cupitis, mando vobis, ut vos invicem diligatis. Si commune periculum etiam inimicissimos in concordiam redigit, utiq; etiam tot hominum adversus vos conspiratio debet vos reddere concordēs. Simplicius est, pronome ταῦτα primario ac principaliter ad præcedentia referre. 1. Quemadmodum enim in seriis exhortationibus post enumerata exhortationis argumenta subjici solet epiphonema constans repetitione propositionis & interdum etiam principalium quorundam argumentorum: ita postquam Christus exhortatoriam suam propositionem efficacissimam ratione confirmaverat, eandemque variis argumentis amplificaverat, repetit conclusionis loco propositionem: *Hæc mando vobis, ut diligatis mutuo.* Ego, qui sum vester Dominus, ac proinde cui æ-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tert.

quum est vos parere, ego qui tantoperè vos dilexi, hoc mando vobis, ut mutuum dilectionem vobis habeatis commendatissimam. 2. Augustin. tract. 87. in Joh. simul putat, respectum haberi ad verba proximè præcedentia: *Ego elegi vos & posui vos, ut eatis & fructum asseratis.* Per hoc (inquit) intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait, ego elegi vos, ut eatis & fructum asseratis, & fructus vester maneat. Et quod adjunxit, ut quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Tunc utiq; dabit nobis, si diligamus invicem, cum & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum &c. Caritas ergo est fructus noster. 3. Et quia superius monuimus, per fructum Apostolorum non solum privatos fructus Spiritus, sed etiam publicos illos fructus, quos in Evangelii prædicatione produxerunt, esse intelligendos, ideo haud absurdè cogitatur, Christum ideo præceptum caritatis huic Apostolorum fructificationi subjunxisse, quia ad munus Apostolici & Ecclesiastici ad ministracionem vel maximè requiritur seria dilectio in tolerandis scilicet laboribus, in sustinendis persecutionibus, in correctione peccatorum &c. absq; qua Apostoli in suo officio nihil potuissent proficere; unde Christus Petro docendi officium denuò commissurus, tribus distinctis vicibus ex illo prius quærit: *Simon Jona, amas me?* Johan. 21. v. 15. 16. & 17. 4. Rupertus statuit, Christum simul respicere ad v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quacunq; ego præcipio vobis.* Postquam enim declaraverat eximia illa beneficia, quæ Apostoli sperare & expectare possint, si amici sui sint & maneat, jam porro exponit, quæ sint illa præcepta, quæ facere debeant, ut in amicitia tam salutariperseverent, quasi dicat: Præcepta illa non sunt difficilia, nec numero multa, sed hoc unum vobis præcipio, ut vos mutuo diligatis, quod grave & difficile non erit, si me ex animo & verè dilexeritis. Conjunctio ergo ἵνα ponitur eidiæ, ac ταῦτα ponitur pro τὸ. Quia enim pluraliter dixerat, si feceritis, quæ ego præcipio vobis, ideo etiam pluraliter dicit, hæc mando vobis. Vicissim quia omnia Christi præcepta conversationem cum proximo & secundam Decalogi tabulam concernentia unico fraternæ dilectionis præcepto comprehenduntur, & quia vera dilectio proximi præsupponit dilectionem Dei, ideo singulariter subjicit, ut diligatis mutuo. 5. Sicut ergo superius ad declarationem ejus, quod dixerat v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione,* statim subjecerat, v. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos:* ita hoc loco ad declarationem ejus, quod dixerat v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quacunq; ego præcipio vobis,* statim subjicit: *Hæc mando vobis, ut diligatis mutuo.* 6. Denique secundario & minus principaliter ad sequentia respectum aliquem haberi non est improbabile. Prædicturus odia & persecutiones à mundo Apostolis meruendas, præmittit dilectionis præceptum, quia in adversis & persecutionibus mutua fratrum dilectio & necessaria est & fructuosa. Si mundus nos odit, mutuo nos diligamus; si à mundo omnia dura ac dira nobis imminēt, mutuo solatio nos erigamus, quæ de re in principio sequentis capituli plura dicentur. Sic ergo in hac valedictoria concione Christus jam tertiam vice repetit dilectionis præceptum 1. ad insinuandam naturæ nostræ corruptionem. Quod enim toties hoc præceptum nobis inculcatur, illud arguit naturam

FFFFF

ram

ram nostram per peccatum miris ac miseris modis ita corruptam esse, ut necessarii ac salutari hujus præcepti faciliè nos capiat oblivio. In statu integritatis tota hominis natura ad dilectionem fuit prona: sed in statu corruptionis hodierno tota hominis natura est à dilectione averfa, quin & reliquæ quædam hujus corruptionis hærent in ipsis renatis, adeò ut contra inordinatum amorem sui cuilibet renatorum perpetuò sit pugnandum, ac vetus noster Adam à dilectione proximi abhorrens mortificandus &c. Versamur insuper in terra oblivionis ac infernales vultures semen verbi ex cordibus nostris rapere conantur, Matth. 13, 19 2. ad significandam novissimorum temporum conditionem. Prædixerat Christus, Matth. 24. v. 12. circa tempora novissima propter abundantiam iniquitatis caritatem in multorum cordibus insigne decrementum & quasi frigus quoddam passuram. Id ipsum etiam hoc loco tacitè innuit, quando in novissimis suis verbis exhortationem ad caritatem toties repetit. Ut enim sequens persecutionum prædictio non solum ad Apostolos, sed etiam ac vel maximè ad novissimorum temporum homines pertinet, Luc. 21. v. 12. ita quoque de hac ad dilectionem exhortatione idem statuendum; ac proinde Christus caritatem velut sanctum quoddam depositum veris suis discipulis commendat, ut ab omnibus hominibus repudiata & expulsa in ipsorum cordibus locum inveniat. 3. ad refellendam falsam Apostolorum opinionem. Apostoli perivasi erant, regnum Christi fore mundanum, inde quilibet in eo primatum desiderabat ac mutuis odiis & æmulationibus sese invicem oppugnabant. Sed Christus exhortatione ad caritatem toties iteratà demonstrat, regnum suum esse spirituale, in quo ex caritate & humilitate sibi invicem servire debeant, ac honore sese invicem prævenire, Luc. 22. v. 25, Rom. 12. v. 10. 4. ad exaggerandam veræ fidei fructificationem. Christus in pericope proxima ad fidei constantiam Apostolos fuerat exhortatus, huic exhortationi subjicit ac bis repetit caritatis præceptum, ut doceat, qualem fructum vera fides afferat, ac errorem eorum refellat, qui putant fidem esse rem leviculam, esse nudam noticiam, esse inanem mentis persuasionem, testimonio & effectu bonorum operum destitutam. 5. Cum primis verò hac repetitione Christus usus est ad majorem dilectionis commendationem. Mandati hujus iteratio est ejusdem commendatio. August. tract. 87. in Joh. Paulus Apostolus, cum contra opera carnis commendare fructum Spiritus vellet, è capite hoc posuit. Fructus, inquit, Spiritus caritas est. Ac deinde ceteri tanquam ex isto capite exorta & religata contextuit: quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Quis autem benè gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? Quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veniunt diligit? Quis est longanimis in opere bono perseveranter manendo, nisi serveat diligendo? Quis est benignus nisi diligit, cui opitulatur? Quis nititur mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, unde turpatur, nisi diligit, unde honestatur? Meritò itaque magister bonus dilectionem sic sapè commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cetera bona, & quæ non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus &c. Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis dicitur. Jam verò in hac vita præceptum caritatis ratione præcepti nun-

quam satis disci potest, ideo Magister unitatis & exemplar caritatis Salvator noster Christus toties hoc præceptum nobis inculcat. Quæ à præceptore aliquoties repetuntur, ea discipulis animis fortius imprimuntur. Ut ergò dilectionis præceptum discipulorum animis eo fortius Christus imprimeret, non semel, sed aliquoties illud inculcavit. Quemadmodum Johannes Baptista bis repetivit, *Ecce agnus Dei tollens peccatum mundi*, Joh. 1, 29. & 36. ut fidem in Christum magis inculcasset, quem eo nomine multis commendat Chrysostomus homil. 17. in Joh. sic Christus tribus distinctis vicibus repetivit: *Hoc est præceptum meum, ut vos mutuo diligatis*, ut caritatem discipulis suis eò magis commendaret. Meritò autem præceptum caritatis debet nobis esse commendatissimum propter autoris majestatem. *Hoc est præceptum meum*, inquit Christus, *ut vos diligatis invicem*. Christus est creator noster nos sumus ipsius creatura, æquum igitur est, ut huic ipsius mandato nos obsequentes præbeamus. Ipse dedit nobis corpus & animam, per quam proximum diligere possumus, dedit nobis omnia corporis membra, quæ ex caritate in servitium proximi impendere possumus, æquum igitur est, ut, quod ab ipso accepimus, eo juxta voluntatem & præscriptum ipsius utamur. Christus est Redemptor noster, *liberavit nos è potestate Satanae, & transtulit in regnum Dei*, Col. 1. v. 13. æquum igitur est, ut celestis hujus politia legibus nos conformemus. Christus est Rex noster, æquum igitur est, ut ipsius decretis pareamus. Christus est Magister noster, æquum igitur est, ut velut genuini ipsius discipuli ipsi obtemperemus. Christus est sponsus noster, æquum igitur, ut morigeræ sponæ instar ipsi obsequamur. Christus est caput nostrum, convenit igitur, ut membra capitis sui nutum & imperium sequantur. *Vos amici mei estis*, inquit, *si feceritis, quæcunq; ego præcipio vobis*. Ergo qui non obsequitur huic dilectionis mandato, non potest de se gloriari, quod sit verus amicus Christi. *Ex eo omnes agnoscunt, quod sitis discipuli mei, si diligatis invicem*, inquit, Joh. 13. v. 35. Ergo qui proximum non diligit, non potest pro genuino Christi discipulo haberi. Christus hoc caritatis præceptum in concione sua valedictoria quasi Testamenti loco reliquit. Quemadmodum igitur liberi pro omnem vitam memores sunt eorum, quæ paulò ante obitum veluti Testamentaria dispositionis loco à parentibus ipsis sunt commendata: ita quoque nobis convenit hujus præcepti perpetuò esse memores. Nec solum propter causæ efficientis, sive autoris majestatem, sed etiam propter materię sive ipsius caritatis naturam & dignitatem præceptum hoc nobis debet esse commendatum. Caritas est fructus Spiritus, Galat. 5. v. 22. est vera discipulorum Christi nota, Joh. 13. v. 35. est vinculum perfectionis, Coloss. 3. v. 14. est ἀληθινῆς legis, Rom. 13. v. 11. est τελειωσις regalis mandati, Jacob. 2. vers. 8. est omnium mysteriorum notitia præstantior, 1. Cor. 13. v. 2. per quam vera fides est efficax, Galat. 5. vers. 6. quæ in vita æterna durabit ac perficietur, 1. Corinth. 13. vers. 8. imò absque qua reliquæ virtutes & dona nihil quicquam proficiunt, vers. 1. & 2. Iren. lib. 4. adv. hæres. c. 25. *Omnia vacua & frustranea sunt sine dilectione*. Ambros. in comm. 1. Corinth. 13. *Quoniam Deus est caritas, sciat, qui caritatem habet, se Deum habere*. 1. Johan. 4. v. 8. Ut autem cari-

tas est omnium virtutum præstantissima, ita quoque est omnium virtutum jucundissima. Quid enim suavius & naturæ humanæ ad Dei imaginem conditæ & per Christum ad eandem reparatæ accommodatius quam proximum diligere? quinimo caritas non solum ipsa dulcis est, sed etiam omnia, quæ contingit, reddit dulcia. Vivendum nobis est in communi hominum societate, proinde ne vitam nostram, quæ alias labor est & dolor,

per discordias, odia & inimicitias nobis reddamus acerbam, ideò caritatis præcepto obsequamur. Sed de his atque aliis causis impulsivis, quæ ad caritatem nos inflammare debent, ac de proprietatibus & effectibus veræ caritatis, in Schola pietatis l. 4. parte 2. cap. 13. & cap. 174. Harm. pluribus egimus.

*Me dilexisti, Jesu, nil tale merentem,  
Fac ut amem fratres, te redamem, Patrem.*

## CAPUT CLXXVIII.

## CHRISTUS ADVERSUS MUNDI ODA ET PERSECUTIONES APOSTOLOS SUOS ARMAT.

JOH. 15. v. 18.

## RATIO ORDINIS.

**L**ibortationi ad fidei constantiam & dilectionem mutuam subjicit Christus consolationem, qua contra mundi odia & persecutiones in ministerio Apostolis obvencuras, eosdem præmunit atque præmonet. Rationes hujus ordinis possunt dari variæ: 1. Christus hoc vult dicere: Necessaria vobis erit mutua dilectio, quia satis magna erit eorum copia, qui vos odio habebunt, & persequentur. In mundo non habebitis amicos, necessarium igitur erit, ut inter vos amicitiam colatis. Non est, quod invicem velitis simulates & discordias alere, odiorum & inimicitiarum ubiq; erit plus satis. 2. Aug. tract. 87. in Johan. tradit hujusmodi connexionem: *Pro hac dilectione patienter debemus etiam odia mundi sustinere. Necessè est enim, ut nos oderit, quos cernit nolle, quod diligit.* Sensus igitur est: Non perturbet vos, quod dum veræ fidei vinculo mihi, veræ dilectionis vinculo proximo conjuncti estis, mundi odium experiri cogamini, quinimo hoc ipsum debet vobis indicio esse, quod sitis veri ac genuini mei discipuli à mundi ingenio & moribus alieni. Tantum abesse debet, ut hisce tempestatibus à me vera vite vos avelli patiamini, ut ex illis velut certâ quâdam notâ agnoscatis vos esse veros palmites. 3. Inter media ac remedia, quibus mundi odium superari debet, cum primis eminet vera in Christum fides ac fraterna dilectio. Fidei scutum adversus omnes mundi insultus nos fortes atque insuperabiles reddit, 1. Joh. 5. v. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Dilectio itidem animis nostris robur addit, quando scilicet mutuo solatio in communi mundi odio nos invicem erigimus. 4. Mundi odium & pericula ab eo metuenda merito debet nos impellere ad mutuam & fraternam dilectionem. Quod si enim alias in vita communi privatas inimicitias componimus, quando publica impendent pericula, juxta illud, *συνάγει καὶ τὰς ἐχθρίδας ὁ καινὸς κίνδυνος*, quantò magis in Christo concordare esse decet,

*Harm. Tom. III. vel Gerb. Contin. pars tert.*

qui communi mundi odio sunt expositi? 5. Periculum erat, ne Apostoli & reliqui fideles exemplo mundi, seducti à mutua caritate exciderent, & relicta viâ dilectionis arctâ spaciose mundi viâ insisterent, Matth. 7. v. 13. 6. Opera caritatis potissimum exercenda erga eos, qui persecutionem à mundo sustinent, & propter nomen Christi affliguntur, Rom. 12. versic. 13. *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes*, 1. Thess. 5. versic. 14. *Consolamini pusillanimes.* 7. Nec solum debemus eos diligere, qui persecutionem ferunt, sed eos etiam, qui inferunt, qui summus est dilectionis gradus. Diligere amicos, à quibus diligimur, & beneficiis afficimur, non est ad eò magnum; diligere illos, à quibus nec diligimur, sed beneficiis afficimur, majus est; sed diligere eos, à quibus non solum non diligimur, sed etiam odio habemur, à quibus non solum nulla accipimus beneficia; sed etiam injuriis afficimur, est maximum, Matth. 5. versic. 44. Luc. 6. versic. 27. Postquam igitur Christus de mutua domesticorum fidei dilectione egerat, subjungit prædicationem de mundi odiis & persecutionibus, quas dum patienter ferendas ac persecutores diligendos esse docet, eo ipso monet, ad dilectionis objecta ipsos etiam inimicos pertinere, nec in fidei domesticis caritatem subsistere. 8. Apostoli nec in Evangelii prædicatione fructum aliquem ferre, nec mutuam dilectionem conservare potuissent, quorum utrumque in præcedentibus Christus requisiverat, nisi ad mundi odia forti animo toleranda à Christo fuissent armati ac muniti. 9. Christus instar fidelis ac periti Medici, Matth. 9. versic. 12. non solum præsentibus morbis opitulatur, sed etiam contra futuros munit. In præcedentibus hujus valedictoriæ concionis verbis mederi voluit morbo tristitiæ, quo ob prædicationem proximè instantis sui abitus animi ipsorum erant occupati, in his verbis mederi conatur morbo timoris, quem ob prædicationem futurorum malorum concipere

Ffffff 2

pote-